ANNOTATIONES PRACTICAE

AD VARIA IVRIS PONTIFICII LOCA,
Ex nouiss. Constitut. Apostolicis breuiter excerptæ.

NONNVLLIS ETIAM CANONICIS DISCEPTATIONIBVS,
Suis quibusq; materijs obiter insertis.

PER ANTONIVM NALDVM FAVENTINVM,
EX CLERICIS REGVLARIBVS,

ECCLESIASTICIS OMNIBVS IN VTROQ. FORO VERSANTIBVS,
RECENS EDITAE.

CVM INDICIBVS LOCORVM, QVIBVS ANNOTATIONES APPONVNTVR:
Sententiarum; & Constitutionum Apostolicarum,
quæ hic referuntur.

AD EMINENTISS. ET REVERENDISS. D.
D. ANTONIVM BARBERINVM
S. R. E. CARDINALEM;
S. D. N. D. VRBANI PAPÆ VIII.
EX FRATRE NEPOTEM.

ROMAE, Apud Gulielmum Facciottum. M. DC. XXXI.
SVPERIORVM PERMISSV.

EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO DOMINO

D. ANTONIO BARBERINO

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO

S. D. N. D. VRBANI PAPÆ OCTAVI EX FRATRE NEPOTI, AD VNIVERSOS PRINCIPES CHRISTIANOS DE LATERE LEGATO.

ANTONIVS NALDVS FAVENTINVS
Clericus Regularis S. P. D.

COLLEGERAM (Eminentiss. Princeps) paucis ab hinc annis, ex varijs Romanorum Pontificum Constitutionibus, & Decretis, extra Iuris Canonici Corpus adhuc vagantibus, nonnullas in eiusdem Iuris prudentiæ textus annotationes; quas dum priuatim conseruabam, ecce subodorantes amici, non leuiter me, quod ita eas supprimerem increpuere: pietatem minus redolere dicentes, quod commu-

niter omnibus absq; singularis fructus iactura prodesse posset, ad vnius commodum inuidiose quasi seruare. Monitis acquieui,& eo libentius,quod à D. Ambrosio dictum recolebam,Qui tenet quod non debet,raptoris incurrere nomen. Ea propter in medio ponere quamprimum decreui. Et ne a maiorum vestigijs recederem,qui eiusmodi lucubrationes Herois alicuius tutelæ committendas,iugi docuerunt exemplo,sub cuius nam, & ego emitterem patrocinio non diu cogitaui: statim enim illuxit,immo & præluxit omnibus Amplitudo tua Eminentissima,quippe quæ illas non minus humaniter amplecti,quam feliciter tueri posset,& longe item melius,si quid sint,agnoscere; præsertim,quod (pleraque alia prætereo munia) Præfecturam gerens supplicibus libellis iure signandis, propterea & sacros Canones assidue versare coactus,quidquid illæ ferant,non prę- obseruatum solum,sed etiam præiudicatum illico habeas:adeò vt, ad excelsam illam, qua Pontificia fungeris auctoritate ad Christianos Principes omnes pro afflictis Italiæ rebus componendis, legationem explendam, nil sis inde impedimenti sensurus; delectaturus potius, quod Constitutiones, vnde eas excerpsi, e præuenerat Sanctiss. Patrui tui Sapientissimi oraculis maiorem in partem prodierint. Ad quas Eminentiæ tuæ præ cæteris dicandas erexit me confidentius Excellentissimorum Parentum tuorum summa erga me benignitas,dum a sacris Confessionibus vti me voluerunt. Obseruantiæ igitur in te meæ,tenue vtcunque monumentum, qua soles omnia, hilaritate cape. Viue diu felix, & Vale. Ex Vrbe die 8. Septemb. M. DC. XXXI.

A V-

AVCTOR LECTORI.

CVM scriptum legatur (experientia etiam ipsa testante) omnia noua pulchritudine esse decorata, proem.ff.§.in secundo autem:facile mihi persuasum habeo, breue hoc meum opusculum non omnibus forte iuris prudentiæ studiosis aspernandum fore, sua saltem nouitate nouam simul, ac vtilem iucunditatem Lectoribus afferens. Neminem quidem latet,nõ nouum, sed valde antiquum, immo & ipso æuo antiquiorem esse hunc scribendi laborem in vniuersum ius nostrum;siue glossas; siue commentaria; siue tractatus; siue syntagmata;siue collectanea; siue tandem cuiusuis interpretationis speciem exquiras. Esto ita sit, attamen hoc meum institutum non desinit esse nouum, si vetus forma, vel addendo, vel detrahendo mutetur,l.1.§.opus, vbi Alex.& alij, de noui oper. nunt. Sed & eo amplius(humane mi Lector) audacter tibi polliceor; quia nec meum hoc præcipuum consilium, ac munus, adiunctam, videlicet, antiquo iuri Pontificio dispositionem, vtcunque nouissimam, ex Constitutionibus Apostolicis in dies editis emanantem; sed nec accessorias lucubratiunculas, veluti appendices, Disceptationes quasdam Canonicas, quæcunque sint, obiter insertas, in tuis hucusque Codicibus (nisi fallor) vsquam inspexisti; Et sic nec me quidem actum inepte agere iure poteris obiurgare. Aliorum sane labores, priscorum maxime, admiror, gratantique animo suscipio: at quia homines sumus, & nihil omittere, quod desideretur; arduum nimis, ac perdifficillimum dixerim, en pauca hæc, & modica, quæ mihi priuatim congesseram, tibi libenter, vtinam haud & inaniter, exhibere volui. Aequi, boniqueh facias animi mei censum, & si quid forte placet, Deo bonorum omnium largitori Maximo, referas. Vale.

Præcipiente Reuerendiſs. P. noſtro Præpoſito Generali legi Adnotationes practicas ad varia loca Iuris Pontificij R. P. D. Antonij Naldi Sacrorum Canonum Profeſſoris, & cum nihil fidei diſſonum, nec bonis moribus noxium repererim, dignas duco, quæ typis committantur in ſacri Iuris ſtudioſorum vtilitatem.

D. Thomas de Afflictis Clericus Regularis.
D. Zaccharias Paſqualigus Clericus Regularis.

D. Stephanus Medices Congregationis Clericorum Regularium Præpoſitus Generalis.

Cum iſtæ Annotationes Practicæ in varia loca Iuris Pontificij P. D Antonij Naldi, iuxta præfixam aſſertionem, a PP; quibus id commiſimus, approbatæ fuerint, vt Typis mandentur (quoad nos ſpectat) facultatem concedimus. In quorum fidem præſentes Litteras manu propria ſubſcripſimus, & noſtro ſolito ſigillo firmauimus, Romæ die 21. Maij. 1631.

D. Stephanus Medices Præpoſitus Generalis Congreg. C. R.
D. Bernardus Caſtagninus Secretar.

Imprimatur, Si videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sacri Palatij Apoſtolici.

A. Epiſc. Bellicaſtr. Viceſgerens.

Ego infraſcriptus, ita iubente Reuerendiſs. P. Magiſtro Nicolao Riccardo M. S. P. Apoſtolici, vidi, & diligenter conſideraui Adnotationes Practicas ad varia loca Iuris Pontificij compoſitas ab ad. R. P. Antonio Naldo Clerico Regulari, & nihil reperi, quod vel bonis moribus, vel Religioni aduerſetur. In quorum fidem hanc mea manu ſcriptam, & ſubſcriptam dedi, Romæ die 16. Iunij. 1631.

Angelus Lucianus I. V. D. & in Gymnaſio Almæ Vrbis Pontificij iuris profeſſor in prima ſede horis pomeridianis manu propria.

Imprimatur, Fr. Nicolaus Riccardius Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter, Ordinis Prædicatorum.

IN-

INDEX LOCORVM,

QVIBVS ANNOTATIONES APPONVNTVR,

Iuxta ordinem Iuris.

MA-

Liber Sextus.

IN-

INDEX
EORVNDEM LOCORVM
Iuxta ordinem Aphabeti.

A

De

Le-

ANNOTATIONES PRACTICAE

AD VARIA IVRIS PONTIFICII LOCA, Ex nouissimis Constitutionibus Apostolicis breuiter excerptæ.

IN DECRETO.

DISTINCT. III.

Cap. Priuilegia.



CVM priuilegia multiplicia, quæ hic leges priuatorum dicuntur, rationabiliter pro congruitate temporum in dies variari, atque etiam reuocari appareat, vt ex nouissimis Romanorum Pontificum Cõstitutionibus sæpius infra, & latius specialiter in *cap. contra morem, dist.* 100. indicabimus. Nil mirum erit, si & communes, atque vniuersales sacros canones, ecclesiasticaq. statuta, eadem exigente ratione, vt aptius, scilicet, temporum opportunitati deseruiant, modificari, restringi, vel ampliari contingat. Eam enim esse humanæ naturæ fragilitatem vel inuiti experimur omnes, vt nouas semper deproperans edere formas, nunc antiquorum declaratione, nunc vero nouorum editione iurium, pro litium, atque ambiguitatum inde consurgentium inundatione reprimenda, succrescentiumq. vitiorum amputatione, semper indigeat.

DIST. VIII.

Cap. Qui contempta, verſ. Reuelatione facta.

OCcaſione huius ſententiæ, quod reuelatione facta veritatis, conſuetudinem illi cedere oporteat, obſeruandum eſt conformiter, non eſſe credendum omni ſpiritui, ſed probandum, an ex Deo proueniat; ideoq. iure merito vetitum fuiſſe prædicatoribus ſub pœna excommunicationis latę ſententiæ cum reſeruatione, ne publicent inſpirationes, ſeu reuelationes proprias; vel alienas, inanes, vanasq. diuinationes abſque licẽtia Romani Pontificis. Quod ſi vrgens aliqua neceſſitas aliud forte aliquando ſuaderet, tunc Ordinarij munus erit cum conſilio peritorum, atque ſapientum rem totã diligẽter examinare. Ita ſtatuit Conciliũ Lateranenſe ſub Leone X. in Conſtit. incip. *Superna Maieſtatis præſidio, &c.*

De materia vero Prædicatorum, quæ nouiſſime ſtatuta ſunt, habentur inf. Annotat. ad *cap. Eccleſiaſticis 12. q. 2.*

DIST. XII.

Cap. De ijs.

EX ratione huius textus, videlicet, quod iuſtum eſt, vt inde vnuſquiſque ſumat regulas magiſterij, vnde honoris conſecrationem accepit, quædam inferuntur illationes, de quibus inf. *cap. dilectus, de offic. Ordinarij*. Et ſimiliter etiam ſtatutum fuit, quod Regulares etiam exempti teneantur publicare in ſuis eccleſijs, atque etiam ſeruare cenſuras, & interdicta Sedis Apoſtolicæ, aut ab Ordinarijs locorum promulgata; nec nõ colere dies feſtos, quos ijdem Ordinarij in ſuis diœceſibus ſeruandos eſſe præceperint: vt patet in *Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 12. de regular.*

DIST. XVIII.

Cap. De Concilijs.

IN hoc textu diſponitur, binos conuentus Epiſcoporum per ſingulos annos eſſe celebrandos, nunc autem quando, & quomodo

modo Concilia Prouincialia cogenda sint, & de quibus iudicent, statuit *Conc.Trid.seß.24.cap.2.cum seq.de reform.*

DIST. XXIV.
Cap. Quando.

STatuitur hic, ordinandos debere se præsentare examinatoribus feria 4. ante ipsam ordinationem. Circà quos notandum est, quod ijdem Examinatores habendi sunt pro præsentibus in Choro, dum intersunt examini; & sic non amittunt distributiones quotidianas, vbi sic consuetudo obtineret, ad tradita *per DD. de Rota decis.426.num.5.in nouiter nouissimis Farinac.*

Et caueant ijdem Examinatores, ait *Conc.Trid.seß.24.cap.18. ad medium, de reform.* ne quidquam prorsus occasione huius examinis nec ante, nec post accipiant; alioquin simoniæ vitium tam ipsi, quam etiam dantes incurrant, a qua absolui nequeant, nisi dimissis beneficijs, quæ quomodocunque, etiam antea obtinebant, & ad quæcunque alia in posterum inhabiles reddantur; cum alijs ibidem de hac re latius extensis, vide locum.

DIST. XXV.
Cap. Primum itaq.

A die baptismi, cautum est in hoc textu, sine crimine inueniri debere eum, qui in Episcopum est ordinandus. Nunc autem Gregorius XIV. in Constit. *Onus Apostolicæ seruitutis, &c.* præscribit formam inquirendi de vita, & moribus, ac scientia promouendorum ad Episcopatus, & dignitates inferiores, etiam cuiusuis ordinis regularis, de quibus Consistorialiter prouideri contigerit.

Postea à temporibus Clementis VIII. inoleuit vsus, qui etiam nunc perdurat examinandi coram Sanctissimo, & Cardinalibus, ad hoc munus delectis, per Italiam præficiendos; extra vero coram Nuntijs.

Tandem Iussu Vrbani VIII. qui nunc fœliciter regnat, emanauit specialis instructio formādi processum de qualitatibus præ-

dictorum in executionem Concilij Tridentini, & antedictæ Constitutionis Gregorianæ; Extrauagans autem prædicta Vrbani incipit. *Si processus, &c.*

Postremo idem etiam Vrbanus statuit, præfatos Examinatores promouendorum, dum assumūtur ad huiusmodi functionem examinandi, debere iuramento se adstringere, non indicandi promouendis quæsita, quæ illis proponere intendunt, nec votum suum modificatum, sed absolutum, & liberum proferendi; & tertio nunquam publicandi responsa examinatornm, siue recte, siue perperam prolata fuerint; vt ex mox infrascripto decreto apparebit.

Forma Iuramenti ex Decreto Vrbani VIII. præstandum per Cardinales, & Prælatos Congregationis Examinis Episcoporum.

SAnctissimus D. N. Vrbanus Papa VIII. in Congregatione examinis promouendorum ad Ecclesias Cathedrales habita in Palatio Vaticano die 16. Maij 1625. decreuit, & mandauit, vt Examinatores non audeant propalare, nec vllo modo indicare examinandis ea, super quibus illos interrogare intendunt; & tam ipsi Examinatores, quam quicunque alij, qui examini intersunt, in votis proferendis, omnino abstineant a quocunque temperamento, veluti, quod examinati iterum reuertantur, vel quod Vicarium à Sacra Congregatione approbatum, secum ducant, aut quid simile; Sed teneantur sententiam suam simpliciter, ac præcise proferre, an sibi videantur idonei, secundum præsentem iustitiam ad munus Episcopale subeundum. Insuper ne vota etiam propria, aut ea, quæ gesta sunt in Congregatione publicentur, aut communicentur alicui, qui Congregationi interesse non solet, voluit idem S. D. N. vt tam S. R. E. Cardinales, quam cæteri Prælati eiusdem Congregationis iuramentum præstent de seruandis in hoc decreto contentis, sub pœnis, & Censuris incurrendis iuxta stylum Sacræ Congregationis Sancti Officij, ex sequenti forma.

Ego N. miseratione diuina S.R.E. Cardinalis, tactis per me sacrosanctis Dei Euangelijs coram propositis, iuro, ac promitto seruare omnia contenta in præsenti Decreto S. D. N. per me lecto

sub

sub pœna excommunicationis, a qua non nisi a S. D. N. absolui possim, sic me Deus adiuuet, & hæc sancta illius Euangelia.

DIST. XXXIV.

Cap. Is, qui.

QVicquid olim decretum fuerit contra impudicitiam concubinatus, vide nunc *Conc. Trid. sess. 24. cap. 8. de reform. matrim.* vbi concubinarij soluti, vel vxorati, cuiuscunque sint ordinis, si ter moniti non resipuerint, excommunicandi sunt. Mulieribus similiter non parentibus mandatis Ecclesiasticis extra ipsorum loca eijciendis.

DIST. XXXVI.

Cap. Qui Ecclesiasticis, §. ecce quod Sacratum.

VIde annotata sup. *dist. 25. cap. vlt.* vbi de forma sumendi informationes circa promouendos ad Cathedrales.

Et ibi cap. 3. ibi, non ex proprio corde, vide, quæ apponuntur super *dist. 8. cap. qui contempta,* vbi prohibentur reuelari propriæ inspirationes absque licentia Sedis Apostolicæ.

DIST. XXXVII.

Cap. Legant.

CVm hic reprehendantur erudientes filios suos vanis secularibus litteris, cum potius Christum noscentes verum sapientiæ, & scientiæ thesaurum inuenire deberent, sciendum est, quod Rectores, & Lectores vniuersitatum philosophorum tenentur in virtute sanctæ obedientiæ singulis annis publicari facere, & exequi respectiue Constitutionem Leonis X. cuius initium est, *Apostolici regiminis,* per quam ijdem Lectores iubentur soluere rationes philosophorum circa eorum opiniones, a recta nostra fide deuiantes, puta, de mortalitate, aut vnitate animæ in cunctis hominibus, mundi æternitate, & similibus. De hac Constit. late scribit Scortia in Constitutione Apostol. Epitome 53. & 54.

DIST. XXXVIII.

Cap. Ignorantia.

DAmnatur hic ignorantia Sacerdotum:quare opportune obseruandum est, Pium V. per Constitutionem suam, *Quamuis a Sede Apostolica* reuocasse omnia indulta, & priuilegia concessa Comitibus Palatinis, ac quibusuis officialium Romanæ Curiæ Collegijs promouendi ad doctoratus, licentiaturæ, & magisterij gradum. Hoc autem declaratur infra Clem. 1. de Magistris.

DIST. XLII.

Cap. Quiescamus, cum seqq.

COnformiter ad hunc locum, vbi mandatur recta elargitio eleemosinarum in ecclesijs facienda, notandum est, quod pauperes non sunt permittendi mendicare per Ecclesias tempore missarum, concionum, & aliorum quorumcunque Diuinorum officiorum; vt ex Constit. Pij V. *Cum primum*, §. *Pauperes quoque*, de qua quo ad eius omnes partes diffuse agit Scorria Epitome 90. in Constitut. Apostol.

DIST. XLV.

Cap. Qui sincera.

TRaditur hic multiplex modus, quo, Deo adiuuante, possunt Prælati ad sinum matris Ecclesiæ infideles conuertere. Vnde, iure merito recentiores Summi Pontifices solliciti de fide propaganda nonnulla erexerunt frequentissima Collegia, optimisq. institutis eadem communierunt, de quibus infra dicetur, *De Statu regul. in 6. in princ.* & de *tempor. & qualit. ordin. eodem lib. 6.* Et inter cætera Vrbanus VIII. statuit de anno 1625. Rectores omnes accepti rationes reddere Nuntijs Apostolicis, in quorum Prouincijs præfata consistunt Collegia, nec non transmittere eorum nomina, cognomina, & patrias, qui eadem ingressi fuerint, & alia, vbi late per eius Decreta.

DIST.

DIST. LVI.
Cap. Presbyterorum.

SIcut presbyterorum filij prohibentur hic ad sacra misteria accedere, sic & nunc Filij illegitimi, quorum Patres, siue ante, siue post ipsorum natiuitatem religionem ingressi, & professi sunt, prohibentur eandem assumere religionem, vt ex Constit. Gregorij XIV. *Circumspecta, &c.* quæ moderatur duas alias Constitutiones Sixti V. in ea parte, in qua de illegitimis nullatenus in Religione suscipiendis, districte cauebatur.

Iterum autem eadem moderatoria Gregoriana declarata, & modificata fuit per Clementem VIII. vt ex eius Constitut. cuius initium est, *In suprema Ecclesia, &c.* per quam disponitur, professiones emissas, non seruata forma illius Cōstitutionis, validas quidem esse, dummodo aliud eis non obstet; sed pœnæ contra Superiores transgressores in eis inflictæ adhuc saluæ permaneant, vt ibi per eam.

Et curiosus Lector plura requirens de illegitimorum irregularitate, seu inhabilitate ad ordines, & beneficia, videat remissiue apud Barbosam in suis Collectaneis ad hanc ipsam *dist. 56. in princip. & in cap. 1. de filijs presbyterorum.*

DIST. LXXIX.
Cap. Si quis Apostolicæ, cum seqq.

QVi nam, & quomodo assumendi sint ad Summum Pontificatum agitur hic per aliquot capita, nunc vero electio Romani Pontificis celebranda est in scrutinio per vota secreta, non damnata tamen formā per compromissum, & quasi per inspirationem, vt ex Constitut. Gregorij XV. *Aeterni Patris Filius;* quam & perpetuo futuris temporibus seruandam esse sanciuit Vrbanus VIII. per suam Constitut. *Ad Romani Pontificis prouidentiam.*

In hac eadem materia extat insuper Constitutio Gregorij XIV. *Cogit nos, &c.* vetans sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, cum reseruatione, ac priuationis beneficiorum quorum-

cunque, nec non restitutionis acceptorum in vtroque foro, fieri sponsiones, seu ex commissas super vita, morte, & futura electione Romani Pontificis, ac promotione S.R.E. Cardinalium: de qua Constitutionis agitur apud Scortiam in Constitutiones Apostolicas Epitome 151.

DIST. EADEM.

Cap. Si quis, Papa superstite.

DAmnantur hic quicumque Ecclesiastici, qui Papa incolumi, & eo inconsulto, aliquid pro Romano Pontificatu priuatis conuenticulis decernere, aut deliberare præsumpserint. Sed & postea prouide sancitum est, quod eiusmodi tractantes in vita Pontificis de futura ipsius successione incurrant grauissimas pœnas, de quibus in Constit. Pauli IV. *Cum secundum Apostolum, &c.* quæ etiam procedunt quo ad mediatores in eodem crimine, & late de hac Constit. agit Scortia Eepitome 70. & ego dixi nonnulla in mea summa verbo, Papa, in fin. vbi eam habebis ad verbum extensam.

DIST. LXXXVIII.

Cap. Decreuit.

PRohibentur hic clerici cupiditatis negotia, nisi ex causa pietatis suscipere, Quare dici posse videtur, quod clericis egenis non interdicitur ad propriam paupertatem subleuandam conducere prædia ecclesiarum, per ipsorum operarios excolenda, secus vero esset, si causa cupiditatis negotiari vellent.

DIST. EADEM.

Cap. Fornicari.

CVm declaretur hic, quod negotiari aliquando licet clerico, aliquando vero non; notandum est, quod clericus non se abstinens ab illicita, & a sacris canonibus damnata negotiatione, non eximi tur a rigorosa spoliorum ex actione, vt ex Constitut. Pij V.

Ro-

Romani Pontificis, &c. §. *motu proprio, verſ. dummodo tamen.* De materia vero Spoliorum, vide infra *cap. 1. de pecul. cler.*

DIST. LXXXIX.

Cap. Quia in quibuſdam.

STatuitur in hoc textu, in cathedralibus deputari œconomum de proprio clero, qui gubernet res Eccleſiæ cum arbitrio ſui Epiſcopi, adde tu, quod œconomis Parochialium vacantium aſſignari conſueuit portio ex ipſarum fructibus a ſcutis quinquaginta vſque ad centum pro qualitate Eccleſiarum, ſimile dicitur infra *cap. non liceat* 2. 12. *q.* 2.

Et nouiſſime emanauit Cõſtitutio Vrbani VIII. de anno 1628. incip. *Aeternus rerum conditor, &c.* per quam confirmatur extrauagans Iulij III. *Cum ſicut nobis, &c.* quæ diſponit de fructibus inexactis Beneficij vacantis, Cameræ Apoſtolicæ reſeruatis; de qua vide Scortiam in Conſtitutione Apoſtolica Epitome 64.

DIST. XCIII.

Cap. Iuxta Sanctorum.

TEnentur Epiſcopi ex hac textuali diſpoſitione ſingulis annis viſitare limina Apoſtolorum; at modernis temporibus debent certis, ſtatutisq. annorum ſpatijs id munus implere, iuxta tenorem Conſtitut. Sixti V. *Romanus Pontifex, &c.* de qua idem Scortia Epitome 139.

Prædicta autem diſpoſitio Sixtina declarata fuit per Sacram Congregationem de propaganda fide coram Sanctiſſimo die 28. Iulij 1626. eam ſufficienter impleri per Epiſcopos in partibus infidelium reſidentes, ſi id præſtiterint medio ipſorum Procuratore, in curia commorante.

DIST. EADEM.

Cap. Nulla ratione.

CVm in hoc textu dicatur, non eſſe clericos cenſendos, qui prouidentia Epiſcopi non gubernantur, ſed potius acephalos;

les; ex hac subiectionis consideratione, qua omnes subijciuntur Episcopo territorij, censeo, eremitam teneri suscipere habitum de manu Ordinarij domicilij, seu habitationis suæ.

DIST. C.

Cap. Contra morem, ibi, scriptis priuilegijs se tueri.

PRiuilegia olim quibusdam Ecclesijs concessa, ex rationabili causa postea superueniente, reuocari consueuerunt per Summos Pontifices, vt dicitur in hoc textu; quare etiam iure merito Gregorius XV. in Constit. incipit, *Romanus Pontifex*, §. *itaque motu proprio, &c.* reuocauit indulta, gratias, & priuilegia quæcunque spiritualia, & ecclesiastica, tam ad forum interius, quam exterius spectantia, viuæ vocis oraculo hactenus edita, quibuscunque & quomodolibet exemptis, etiam Societati Iesu, non tamen ad supplicationem Regum concessa, in ijs, videlicet, quo non sunt sortita effectum, firmis tamen remanentibus omnibus alijs concessionibus prædictæ viuæ vocis oraculo S.R.E. Cardinalibus ad ipsorum, vel aliorum quorumcunque fauorem propria ipsorum S. R. E. Cardinalium manu firmatis, pro ipsis, vel alijs factis, & de quibus ijdem S.R.E. Cardinales testimonium in scriptis præbuerint. Non obstantibus contrarijs, &c.

Postremo Vrbanus VIII. per suam Constitutionem, *Licet nullus Episcoporum, &c.* latam anno 1626. statuit, & declarauit, quod S. R. E. Cardinales Ecclesiarum Præsules indulto conferendi beneficia Ecclesiastica ratione Ecclesiarum, quibus pręsunt, vel quarum regimini vltimo loco cesserunt, dumtaxat vti valeant. Nouissime vero idem Summus Pontifex Vrbanus per suam Constitutionem eodem anno editam, *Sanctissimus in Christo Pater, &c.* declarauit, quod Capitula Ecclesiarum Cathedralium, quibus præsunt Cardinales, ex indultis conferendi beneficia ecclesiastica reseruata, vel affecta eisdem Cardinalibus concessis, nullum ius prætendere possint.

De Alternatiua vero Episcopis residentibus competente vide specialem, elegantemq. tractatum Gonzalez in octauam regulam Cancellariæ, vbi de hac materia habebis ad satietatem.

CAV-

CAVSÆ, ET QVÆSTIONES.

1.q.1. cap. Si qui a simoniacis, cum seq.

PRAETER pœnas hic, & alibi sæpe simoniacæ ordinationi inflictas, nunc aliæ maiores, & grauissimæ imminent male ordinatis, & ordinantibus; ex Constitut. Sixti V. *Sanctum, & salutare, &c.* post modum tamen illæ modificatæ fuerunt per Clementem VIII. vt in sua extrauag. *Romanum Pontificem, &c.* excepto tamen simoniæ vitio, cuius pœnæ adhuc in suo robore permanent, vt ibi per eam. De qualibet istarum Constitutionum agit Scortia in Epitome 147. in Constit. Apostol.

Et de hac mala ordinum collatione, & susceptione vide etiam annotata inferius *9.q.2. in princ. & in lib.6. cap.1. de tempor. ordin. & qualit. ordin.*

De Simoniaca vero, Romani Pontificis electione vide Constit. Iulij II. in Concilio Lateranensi, sess.5.9. ibi, *Cum tam Diuino, &c.* & latissime inter *repetentes Canonistas, vol.6. in fin. Azor. tom.2. lib.4. cap.5. vers. deinde, quæ ref. Less. de iust. lib.2. cap.35.*

1.q.2. cap. Quam pio.

A temporibus Sixti V. vsque in hanc diem variæ emanarunt Constitutiones Apostolicæ pro reformatione Regularium, quas omnes hic indicare laboriosum esset; Videas, si lubet, in mea Summa, in verbo, Religiosus, in fin. vbi, & si non omnes, illarum tamen in hac materia præcipuas, & notabiliores inuenies.

2.q.1. cap. Multi, in princ. ibi, sed medicinalis.

DIcitur hic, correctionẽ Ecclesiæ non esse mortalem, sed medicinalem, nisi peccator sit incorrigibilis; Quare vt peccatoris spiritus saluus fiat quam sobrie, ac mature adhibendus sit

hodie

hodie gladius excommunicationis, statuit *Concil. Trident. sess. 25. cap. 3. de reform. Et vide annot. inferius in extrauag. 2. de sentent. excomm. inter commun.*

5. q. 5. cap. Qui ambulat.

Reuelare secreta non est fidelis amici; vt hic in textu dicitur. Vnde officialis quicunque in statu Ecclesiastico reuelans dicta testium, vel reorum in carceribus secretis detentorum, punitur pœna triremium, vel etiam vltimi supplicij, vt in Constitut. Pij V. *Licet contra Notarios, &c.*

7. q. 1. cap. Quamuis, in fin. ibi, loco eius.

EPiscopo ægrotanti alius hic subrogari iubetur, qui etiam superstes debeat eius loco consecrari; nunc vero Coadiutores in beneficijs ecclesiasticis quibuscunque cum futura successione nemini nunc concedendos esse statuit *Concil. Trid. sess. 25. cap. 7. de reform.* nisi ex causa, & modo ibi expressis.

De qua sane materia Coadiutorum vide late apud *Gonzal. ad regul. 8. Cancellariæ, §. 9. glos. 5. num. 3.* Et ego aliqua dixi in mea Summa, vers. *Canonicus nu. 5. Et scribentes in cap. tua, cap. ex parte, cap. consultationibus de cler. ægrot.*

Ibi. cap. Hoc nequaquam.

OCcasione huius dispositionis, videlicet, Episcopum causa humilitatis effectum Monachum, non valere ad Pontificatum redire; sciendum est, quod e contra Regularis creatus Episcopus rediens ad Claustra, non est admittendus ad officia, & dignitates ordinis sui, ex Constit. Pauli IV. *In sacra beati Petri Sede, &c.* de qua agit Scortia Epitome 72.

8.q.1. cap.Si ergo,ibi,a Domino reueletur.

REuelationes, siue inspirationes propriæ non sunt a prædicatoribus publicandæ, nisi cum licentia Summi Pontificis, vt dictum est supra *dist.8.cap.qui contempta*.

8.q.2. cap.Dilectissimi filij.

MAndatur hic subtiliter iudicari eligendum in Antistitem, ne postea iudicandus sit tanquam indignus. Nunc autem pro Canonica Episcoporum electione seruanda est forma, de qua in Constitutione Gregorij XIV. *Onus Apostolicæ Seruitutis,&c.* Et late supra cap.vlt.dist.25.

9.q.1. cap.Nos consecrationem.

COnsecratio dici non potest, quæ fit illicite ab hominibus excommunicatione irretitis, vt hic dicitur, & propterea Ordinatus Sacris sine dimissorijs sui Ordinarij, vel ante ætatem, vel extra tempora ipso Iure suspensus est, vt ex Constitut.Pij II. *Cum ex Sacrorum,&c.* vide etiam supra 1.q.1.cap. si qui a simoniacis, vbi, de mala ordinum collatione dictum fuit; de prædicta autem Constitutione agit Scortia Epitome 39.

Et nouissime Vrbanus VIII. statuit, vltramontanos in Italia commorantes, ordinari non posse sine dimissorijs, ijsq. subscriptis, & recognitis per Nuntios Apostolicos in partibus constitutos, vt ex eius Constit.incip. *Secretis Aeternæ Prouidentiæ,&c.*

Notandum vero est, Episcopum proprium posse dispensare cum promoto ab alieno Episcopo, absque eius licentia, vt liquet ex *Concil.Trid.sess.23.cap.8.de reform. ibi, in fine, quandiu proprio Ordinario videbitur expedire.*

Hic autem insurgit dubitatio, an prædicta suspensio ipso iure imminens sic ordinato Sacris absque dimissorijs proprij Ordinarij, intelligenda sit, procedere tantum ab ordine sic male collato, an etiam ab alijs antea rite, atque legitime susceptis; dubium enim facit

facit modus ille generaliter loquendi, nempe, ab executione suorum ordinum, prout in præfata Pij II. Constitutione legitur, & nouissime in eodem *Concil. Trid. sess. 6. cap. 5. ibi, ab exequutione ordinum sint ipso iure suspensi, & in cap. 1. de temporum ordinat. in 6.* & alibi sæpe.

Liquet autem verba generalia, & indefinita, generaliter etiam, atque indefinite esse intelligenda; & sic pœnam illam suspensionis ab ordinum exequutione generaliter, & absolute quo ad omnes Ordines, etiam antea rite susceptos, esse intelligendam. Nouum nanque in Iure non est, vt pœna vnius delicti extendatur etiam, & procedat in alio simili eidem casui coniuncto; Exemplum sit in Simonia in vno beneficio admissa, quæ priuat beneficijs etiam antea rite quæsitis, & insuper inducit inhabilitatem ad alia in posterum acquirenda, vt aperte constat in Simonia Confidentiali, de qua post Nauarrum, & alios dixi breuiter in mea Summa, verbo, eodem num. 11. Accipe etiam aliud simile in Examinatoribus Sinodalibus, qui ex *Concil. Trid. sess. 24. cap. 18. de reform.* tenentur dimittere beneficia quæsita ob simoniam in examinatione admissam, tam ipsi, quam etiam dantes, atque etiam beneficia, quæ antea legitime obtinebant, & ad alia in posterum inhabiles redduntur.

Non ergo mirum esset, quod suspensio generaliter a Iure imminens ordine Sacro initiatis absque dimissorijs proprij Ordinarij, censeretur comprehendere etiam ordinem sacrum antea legitime susceptum.

His tamen, & similibus alijs cessantibus, verius videtur dicendum, pœnam suspensionis antedictæ comprehendere tantum Ordinem sic male susceptum; ratio est, quia pœna non debet egredi terminos suos, nec afflicto addenda est afflictio; & sic pœnalis dispositio restringenda est, ne proprium casum excedat, cap. statutum, de elect. in 6. & cap. pœnæ, de pœnit. dist. 1.

Nec obstant adducta incontrarium; nam quamuis extrauagans illa, *Cum ex Sacrorum, &c.* ac nonnulla Iura tam vetera, quam noua generaliter, & absolute loquantur, tamen cum nullus sit sermo adeo generalis, qui non recipiat restrictionem ad terminos habiles, propterea & dispositio illorum iurium intelligenda erit iuxta

sen-

ſenſum, & moderationem aliorum, cum vna lex aliam declaret, & ſemper in dubio vitanda eſt Iurium contrarietas, & correctio, immo ad concordiam ſunt reuocanda. Propterea quamuis Iura nonnulla vetera, & noua videantur abſolute, & generaliter loqui de ſuſpenſione ab ordinum executione, tamen limitanda ſunt iuxta nouam, & manifeſtiſſimam Tridentini diſpoſitionem, *in ſeſſ. videlicet* 14.*cap.*2.*in fine, de reform.* vbi dicitur, taliter vero promoti, nempe, abſque ſui proprij Prælati expreſſo conſenſu, aut litteris dimiſſorijs, ab executione ordinum ſic ſuſceptorum, donec ſuo Prælato viſum fuerit, ipſo iure ſint ſuſpenſi.

Et ad contraria facilis eſt reſponſio, quia ex prædictis ſatis apparet a generali locutione facile recedendum eſſe, vbi in contrarium habemus apertam Iuris determinationem.

Ad ſimilia vero de ſimonia in Beneficiorum confidentia, ſeu examine ad illorum promotionem admiſſa, reſpondetur; pœnam ibi non egredi caſum ſuum, cum ſpecialis Iuris aperti diſpoſitio, quo ad vtrumque caſum inibi legatur.

Et pro Cõfirmatione prædictæ noſtræ reſolutionis addendum eſt, nunc minus tutam videri doctrinam *Paludani in* 4.*diſt.* 18.*q.*7.*art.*2. aſſerentis, prædictam pœnam ſuſpenſionis euitari, ſi quis ſub ſpe ratihabitionis ſui Prælati ab alieno ordinaretur, qui, videlicet, poſtea illud reſciens, ratam ſit habiturus eiuſmodi ordinationem; id enim apertiſſime exploditur per prędicta verba *Concilij, ſeſſ.*14.*cap.*2.*in fin. de reform.* nempe, abſque ſui proprij Prælati expreſſo conſenſu; ergo ratihabitioni locus eſſe non poteſt quæ non expreſſum, ſed tacitum conſenſum continet.

10.q.1. cap. Decernimus.

Dicitur hic, quod Ordinarij viſitent diœceſim annuis vicibus, propterea notandum eſt, quod ijdem Epiſcopi debent viſitare Eccleſias parochiales militiæ S. Ioannis Hieroſolymitani iuxta præſcriptam formam Conſtitutionis Pij V. *Expoſcit, &c.* nempe, quo ad concernentia tantummodo exercitium curæ animarum, & alia, vt ibi per eam, de qua agit Scortia Epitome 117.

10.q.3.

10. q. 3. *cap. Vnio*.

PLuribus Ecclesijs præsidens debet se denominare ab ea, de cuius negotio agitur in litteris per ipsum desuper confectis; rei namque denominatio fieri solet a causa proxima l. quisquis §. hæc verba, de vulgar. & pupill.

10. *q. vlt. cap. inter, ad fin. ibi, vna die*.

NOn amplius, quam vna die per vnamquamque Basilicam commoretur Episcopus visitans diœcesim, Dicitur hic in textu. Quare procurationes non consueuerunt præstari Episcopo Ciuitatem tantum visitanti, cum singulis diebus propriam domum commode reuerti possit, quod si difficile illi esset eodem die reuerti, non deberet fraudari debita iuris procuratione.

11. *q.* 1. *cap. Christianis gratum*.

CLericorum causæ, vt hic statuitur in textu, per clericos tantum cognoscuntur. Quare consuetudo aliquarum partium conueniendi Ecclesiasticos coram Iudice laico in cunctis actionibus ciuilibus, tam circa prædia rustica, quam vrbana, omnino explodenda est tanquam abusus, & corruptela, libertati Ecclesiasticæ contraria propter incapacitatem laicorum, & sic in bulla cœnæ damnata. Quod alias sapientissimi Patres consuluerunt.

Ibid. cap. Si quis Sacerdotum.

PArantes insidias in personas Cardinalium denuntiandi sunt ab eo etiam, qui tantum per coniecturas, & præsumptiones, seu inditia illud assequeretur; alias enim grauissimas pœnas incurreret, iuxta formam Constitutionis Pij V. incip. *Infælicis sæculi, &c.* De qua vide Scortiam Epitome 109.

Et de hostiliter inuadentibus domum alicuius Cardinalis tam tempore conclauis, etiam si in Romanum Pontificem electus esset,

ſet, quam alias quandocunque, eorum ve bona diripientibus, vel inibi exiſtentes aliquo modo lædentibus, extat Conſtitutio Leonis X. *Temperariorum quorundam, &c.* varias, grauesq. continens pœnas contra prædicta perpetrantes. De hac etiam Conſtitut. agitur per eundem Scortiam Epitome 57.

11. q. 3. cap. Nemo Episcoporum.

CVm anathema æternæ mortis damnatio, non niſi; vt hic dicitur, pro mortali crimine imponendum ſit, propterea ad præſcriptum huius textus vetuit Pius V. in ſua Conſtitutione, de qua infra *cap. 1. de ſentent. excommunic.* concedi excommunicationis ſententiam ad effectum reuelandi malitioſe detinentes res alienas, ſeu illas ſubtrahentes, niſi illæ fuerint & certæ, & alicuius momenti.

Ibid. cap. Certum eſt.

QVomodo nunc procedendum ſit contra excommunicatos inſordeſcentes vltra annum in Cenſura, qui habentur pro ſuſpectis de hæreſi, vide *Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 3. in fin. de reform.* Et an tempora coniungantur ad inducendam eiuſmodi inſordeſcentiam, & alia de hac materia dixi in mea Summa, ver. *Excommunicatio num. 40. cum ſeq. & ver. Tempus num. 3.*

Ibid. cap. Inter verba.

NOn hominum verba, ſed mens, & intentio, eorumque conſcientia, vt hic in textu, eſt attendenda. Quare occurrit dubitatio de ſtatuto cuiuſdam Vniuerſitatis, ſeu Societatis obligante omnes, illam ingredientes, ad præſtandum Iuramentum, antequam in illa poſſint adminiſtrationem aliquam obtinere, in hæc verba: Ego N. promitto ad hæc ſacra Dei Euangelia, non reuelare, aut pandere ſententiam alicuius ex Collegis noſtris in noſtra Vniuerſitate, seu Societate prolatam. Modo quidam ex his Collegis reuelauit quidem ſententiam, ſeu votum vnius ex ſuis Col-

legis; sed reticuit nomen, seu personam illius; proptereà dubitatum fuit, an sit censendus periurus.

Et omissis multis, quæ hinc inde deduci possent, breuiter respondendum esse videtur negatiue. Ratio præcipua est, quia in casu non concurrit vtraque qualitas promissi secreti, videlicet, & sententiæ, & auctoris eiusdem sententiæ; Hæc enim duo copulatiue fuerunt in Iuramento promissa; liquet autem, aliud esse hoc simplex, & aliud hoc tale; Et verba limitata ad modum specialem non recipiunt interpretationem extẽsiuam *ad l. multum interest, C. si quis sibi, vel alteri l. 1. §. si quis ita, vbi Ripa num. 50. verb. oblig. cum simil.*

Hoc tamen declaratur dummodo ex qualitate forsitan reuelatæ sententiæ non deprehenderetur etiam persona ipsa particularis, quæ illam protulerit; Tunc enim profectò locus esset periurio; quia actus rediret in naturam suæ formæ. In casu autem, an hæc concurrant, desumendum erit ex particularibus circumstantijs, quæ non cadunt sub arte, & prudentis arbitrio dijudicandum erit. Sed & tunc etiam adhibendum esset sal discretionis; nam si reuelatio facta fuisset inaduertenter, nec cogitando de promissione secreti, non esset contra iuramentum, & hoc in foro conscientiæ, in quo veritas, & non præsumptio, attenditur. Et est simile de Iuramento falso, quod aliquando a superioribus reseruari videmus, ne ab illo possit absoluere simplex Confessarius, quod intelligitur de Iuramento cum aduertentia falsitatis, & iuramenti, *Sanch. in decalog. præcept. 2. lib. 8. cap. 7. num. 1. post Tolet. lib. 4. cap.* 21. ad rationem enim peccati mortalis requiritur plenum iuditium rationis, secundum omnes.

Tandem non esset locus periurio, nisi in rebus magni momenti, & notabilis præiuditij Vniuersitatis, siue Collegij, aut proximi, ad tradita *per gl. Abb. & alios, in cap. Ego, de Iureiurando, Sylu. iuram. q.* 28. *Sanch. vbi supra cap. 5. lib. 14. num. 5. Layman lib. 4. tract. 3. cap. 9. nu. 2. vers. V. Iuramentum de seruando secreto*; Semper enim præsupponẽdum est commune illud axioma, nõ esse locum periurio, & pœnis violati secreti, nisi in re graui, & magni alicuius momenti; cum Iuramentum semper sequatur naturam actus, cui accedit, vt latè prosecutus sum in mea Summa, *ver. Iuramentũ nu.* 11.

Et

Et ex his dicendum apparet, in caſu non fuiſſe violatam iuramenti promiſſionem, &c.

12. q. 1. cap. Quoniam.

CVm hic fiat ſermo de viſitatione plurium Eccleſiarum ſibi in vicino exiſtentium, ſi eiuſmodi Eccleſiæ, ſeu terræ in eadem diœceſi conſiſtentes ab vno ſuperiore viſitandæ inter ſe contendant, quæ nam ipſarum prius viſitari debeat, poſſent in eiuſmodi altercatione ſortem ſibi iudicem aſſumere, *ad tex. in l. 3. in princ. C. communia de legat. & cap. 1. 26. q. 2.*

12. q. 2. cap. Non liceat.

MAndatur in hoc textu, clericos cuſtodire res Epiſcopi ſui defuncti, vſque dum alius ordinetur Epiſcopus.

Nunc autem ſeruanda erit forma præſcripta in *Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 1. de reformat.* vbi de Vicario, & Oeconomo ſtatuendo decernitur, ibi videas.

Ibid. cap. Eccleſiaſticis.

DEciditur hic, quod Eccleſiaſticis vtilitatibus deſudantes dignum etiam ſit Eccleſiaſtica remuneratione gaudere. Notandum videtur, quod non poteſt Epiſcopus cogere populum ad erogandam conſuetam eleemoſinã concionatori ad præſcriptum *Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 4. de reform.* ſi idem Epiſcopus intendat illud pro ſuo libito deputare, ſecus vero, ſi tantum approbare vellet nominandum ab ipſa vniuerſitate. Conſuetudo tamen locorum in hoc ſemper eſſet retinenda; Et de prædicatorum officio, examine, & approbatione extat Conſtitutio Leo X. incip. *Supernæ, &c.* Plura etiam de hac materia remiſſiue apud *Steph. Quarantam, ver. Prædicator, Zerolam in praxi, ver. eo, & in mea ſumma, eod. itidem verbo,* vbi & aliæ Conſtitutiones de hac materia habentur.

12. q. 3. cap. Pontifices.

SI quid Episcopo relinquitur ab extraneis, inter bona Ecclesiæ computandum esse decernitur in hoc textu. Cuius occasione notandum est, quod ex Constitut. Pij V. ***Ad Romani Pontificis, &c.*** Legata relicta Ecclesiæ Lauretanæ denuntianda sunt per Notarios in virtute Sanctæ obedientiæ, (hoc autem præceptum includit peccatum mortale) atque etiam sub pœna priuationis officiorum, ac solutionis dupli intra octo menses a die mortis disponentis extra Italiam; intra vero, infra tres menses a die mortis disponentis computandos. Si autem dispositio esset inter viuos, intra prædictum terminum, a die solutionis faciẽdæ computandum.

Occasione prædictæ dispositionis dubitari contingit de quodam legato relicto Eccesiæ Sancti N. quæ non reperitur in diœcesi testatoris, nempe, sit ne validum, & quando sit, cuinam Ecclesiæ sit debitum.

Et prima facie videbatur dicendum, legatum esse nullum, ratione incertitudinis Ecclesiæ illius Sancti, quæ non extat in Diœcesi, quamuis sit in plerisque alijs locis extra Diœcesim disponentis; & propterea nulla ratio vrgere videtur, cur potius vni, quam alteri Ecclesiæ eiusdem nominis præstandum sit. Et est argumentum a simili de legato relicto, puta, Titio, in genere, cum tamen multi sint in loco testatoris, qui eodem nomine Titij, vocantur; & propterea nulli eorum debebitur legatum, prout aperte habetur *in l. si de duobus, cum seqq. de rebus dubijs, Menoch. cons. 474. num. 3.*

Sed breuiter dicẽdum est, legatum prædictum, tanquam pium, non fieri caducum ratione incertitudinis; id enim satis innuunt superius adductæ auctoritates, & aliæ similes in eundem sensum forsitan deducendæ, quæ omnes aperte loquuntur in legatis non pijs, quæ ratione incertitudinis, vt supra viciari noscuntur, & latius probaui in mea Summa, verbo, *Incertitudo, vers. 3. Legatum autem pium,* vt in casu nostro, non fieri caducum ratione incertitudinis, *Tiraquellus de priuil. causæ piæ, fol. 36. priuil.* 38. late probat, vbi videas.

Quoad secundam vero dubitationem, cui, videlicet, Ecclesiæ

præ-

præstandum sit legatum antedictum, respondet *Mant. de coniect. vlt. volunt. lib. 8. tit. 6. num. 7. post Lapum, & Abbatem, ibi relatos*, deberi Ecclesiæ Cathedrali, tanquam communi aliarum Ecclesiarum diœcesis suæ matrici.

Et cum hac quidem doctrina communiter, & absolute loquendo omnes pertranseunt. Tamen, quia præter facti narrationem pro constanti supponitur, testatorem, dum viueret, semper, vel, vt plurimum consueuisse eundo, & redeundo circa confinia Diœcesis suæ, deuotionis ergo accedere ad quandam Ecclesiam nominis illius Sancti, cui legatum reliquit, non longe distantem a sua propria diœcesi; Manifestissime autem constet, voluntatem testatoris in legatis, seu dispositione dubia deprehendi debere a verisimili ipsius intentione, a simili de legato missarum in Ecclesia celebrandarum, quod interpretatur de Ecclesia ab ipsomet testatore frequentari consueta, non autem de alia sibi incognita, ex vulgari regula *l. si ita, de auro, & arg. leg. Et notat Ias. in l. filius fam. §. diui, num. 151. Ripa num. 111. de leg. 1. Ceph. cons. 773. num. 2.* propterea recedendo a prædicta communi quidem doctrina Manticæ, & aliorum ob specialem rationem casus nostri, dicendum erit, legatum esse præstandum Ecclesiæ illius Sancti, quam idem testator dum in humanis erat, frequentius adire consueuerat, tanquam præ alijs sibi magis dilectæ: Mens enim testatoris præcipue semper attendenda est; sic & consuetudo Patris familias testantis, contrahentis, vel aliter disponentis, prius inspicienda est, quam regionis, vel loci, in quo actus est celebratus, ex late deductis per *Euer. loco a Consuetis, num. 16.* Saluo semper.

14. q. 5. Nolite velle.

Eleemosinas non esse faciendas ex fœnore, & vsuris, dicitur hic; cuius dicti occasione notandum est contra aliquos insipientes, quod asserentes, Montes Pietatis auctoritate Sedis Apostolicæ approbatos, esse illicitos, ipso facto sunt excommunicati, ex Constit. Leonis X. incipit. *Inter multiplices, &c.* de qua Constitut. agit Scortia Epitome 55. Et de hac materia Montium, eorumque priuilegijs nonnulla scitu digna in praxi habentur in mea Summa, verb. *Furtum, num. 12. & Vsura, in fine.*

16.q.1. cap. Peruenit.

PRohibentur hic Monachi abſque Epiſcoporum conſenſu epiſcopalia iura ſibi arroganter aſſumere. Attamen poſſet regularis aſſumi ad Curam parochialis, Monaſterio ſuo vnitæ, per Epiſcopum approbandus, quem tamen deceret nunquam extra Monaſterium commorari abſque ſocio ſui Ordinis, & tanquam vnus ex parochis eiuſdem diœceſis cogi poſſet adeſſe congregationi caſuum conſcientiæ.

Notat autem *Quaranta in ver. Canonicus Regularis*, nullum regularem, etiam Canonicum, aſſumi poſſe ad beneficia curata, nec in perpetuum, nec ad tempus abſque permiſſu Summi Pontificis, & ita in praxi ſeruari, teſtatur *Gonzalez ibi relatus*.

16.q.7. cap. Filijs.

SVmmatim textus iſte continet, nepotes, vel filios conſtruentis Eccleſiam, nullum ius in ea præter eius ſolicitudinem habere. Verum pro congruo huius textus, *& cap. principes*, 13.q.5. *& ſimilium*, explicatione, coniunge illos *cum c. qualiter, & quando, de Iudićijs, cap. ſolitæ, de miorit. & obed. & cap.* 3. *ſeſſ.* 25. *&* 9. Concilij Lateranen. ſub Leonis X. iuta enim Iuribus concordando, ad *l. vnicam, C. de inoff. don. & not. in §. fin. in auth. de exhib. rer. col.* 5. veritatis lumen facile aſſequemur; prout latius dixi in mea Summa, *in bulla Cœna, cap. ſeu, Excom.* 15. *verſ. Et hic nota, in* 4. *impreſſ.* Vbi apparet, nullam ex prædićtis Iuribus tribui Iuriſdićtionem laicis in Eccleſiaſticos, ſed tantum concedi, cum ea, qua debent, Paterna reuerentia, monere Prælatos Eccleſiaſticos, ſuamque interponere Iuriſdićtionem, & officium, ne forte iniuriam, vel damnum aliquod patiatur Eccleſia.

17.q.2. cap. Gontaldus, in fin. ibi, anni probationem.

NVnc vero in qua ætate debeant eſſe conſtituti emittentes profeſſionem regularem in quacunque religione virorum, & mu-

& mulierum, vide *Concil. Trident. seß.25. cap.15. de regular.*

Et de ætate requisita ad habitum regularem sanctimonialium induendum ex dispositione eiusdem Concil. Trident. dixi in mea Summa, *ver. Habitus, num.6.* vbi contra aliquos defenditur, non ante duodecimum annum licere illum assumere.

17.q.4. *cap. Si quis suadente.*

DE hac materia dicetur infra cap. 1. sentent. excommun. vbi videas.

Ibid. cap. Id constituimus.

COnfugientes ad Ecclesiam, vel domum Episcopi dicitur hic, non possunt inde abstrahi, nisi, &c. An autem hęc immunitas competens domui, seu palatio Episcopi, extendatur etiam ad domum, & habitationem Prælati inferioris, habentis tamen in loco suæ Iurisdictionis iura quasi Episcopalia, deferentisq. baculum, & mitram, fuit aliquãdo dubitatum: Et ratio dubitandi erat, quia hæc ipsa immunitas extenditur per DD. etiam ad totum claustrum religiosorum, seu eorum habitationem; quia totus ille locus est sacer, & religiosus, *vt tot. tit. de religiosis domibus, cap. ligna, de consecrat. dist. 1. nec non & ad hospitalia, Episcopi auctoritate erecta, cap. ad hæc, de religiosis domibus, & dd. communiter in cap. Ecclesiæ, de immun. Eccles.* Et Ecclesiæ Matrices in loco veniunt nomine Ecclesiæ Cathedralis, *cap. cum Clerici, de verb. signif.* & quod magis est, etiam confugientes ad Statuam Præfecti Vrbis, seu Principis, gaudet hac ipsa immunitate. *Farinac. de Immunitate, fol. 590. num. 277.* & idem de domo Seminarij, & qualibet eius parte, docet *Genuen. in praxi cap. 22. num. 10.*

Verum in contrarium facit, quod in correctorijs, & odiosis, qualis est recessus a Iure communi, per quod eiusmodi immunitas non competit, nisi Ecclesijs principaliter, & proprie, non est facienda extensio ad casus non expressos, *cap. quæ a Iure, de regulis Iuris, in 6. Gail. pract. obseru. lib. 2. obseru. 33. num. 6. Natta cons. 514. num. 19. cum simil.*

Cum ergo, & in hoc textu, & alibi hoc priuilegium immunitatis expresse concedatur domui Episcopali, non poterit competere domui Prælati inferioris, nisi tamen coniuncta esset Ecclesiæ, prout & competeret domui cuiuscunque Clerici, vt per *Nauar. in man. cap. 25. num. 18. & alios sæpe.*

20. q. 1. cap. Puellæ.

CVm hic statuatur, quod inuiti sine iusta offensionis causa intromissi in Monasterijs ibi non detineantur contra propriam ipsorum voluntatem; aduertendum est, quod nunc ex *Conc. Trid. sess. 25. cap. 19. de regul.* Professus regularis prætendens quacunque ex causa, se nulliter professionem emisisse, non est audiendus, nisi intra quinquennium a die professionis; & alia ibi disponuntur, vbi videas.

Ibid. cap. Iuuenculas.

NVlla monialis ante annum sexagesimum Abbatissa fieri per hunc textum permittitur. At in qua nunc ætate debeat esse monialis, eligenda in Abbatissam, statuit *Concil. Trid. sess. 25. cap. 7. de regular.* Nec Episcopus dispensat super hac ætate, ex relatis per *Barbos. in Collectan. ad hunc locum, in fine.*

Et de Abbatissa laborante defectu aliquo, ne possit in Abbatissam eligi, an teneatur se ipsam prodere, vt legitime, & canonice eligi possit, dixi in mea Summa, *verbo eodem, num. 1.*

21. q. 2. cap. Si quis.

STatuitur hic, quod nihil commune habeat cum Ecclesia priori, qui de vna ad aliam translatus est, cuius dicti occasione notandum est, quod monialis coacte trāslata ad aliud Monasterium, consequetur alimenta tantum, non etiam dotem a primo Monasterio, quod illa citra propriam culpam priuari iuste non potest; de qua re, *Sanch. alios referens in decal. lib. 7. cap. 32. num. 47.* quos hic recensere laboriosum esset.

21.q.4. cap. Omnis iactantia.

OMnis ornatura corporalis a sacrato ordine aliena esse debet. Vnde, acriter hic corripiuntur Clerici, qui vnguentis, & claris vestibus, & fulgidis lasciuiunt. Quare notandum est, quod de vestibus per clericos honeste deferendis Constitutio duplex edita fuit a Sixto V. altera quidem incip. *Pastoralis, &c.* disponens de Clericis pensionarijs, qui non tenentur deferre habitum, nisi percipiant fructus vltra sexaginta ducatos de Camera, qui constituunt circiter octuaginta monetæ currentis, nec non de nonnullis alijs Clericis, ibi expressis, vt sunt paraphrænarij, credentiarij, & similes; Altera vero incip. *Cum sacrosanctam, &c.* quæ generaliter loquitur de quibuscunque Clericis. De vtraque autem præfatarum Constitut. agit Scortia Epitome 147. & 148.

Prædictæ vero Constitutiones Sixtinæ non censentur intelligendæ de habitu rurali, vel in itinere per honestos Clericos deferri solito; alias enim nimis rigidæ videri possent.

Et de hac materia habitus Clericalis vide apud *Stephan. Quarant. fol. 360. in verbo, Habitus Clericorum.*

Habitus vero Religiosorum per fideles, vt sæpe fit, ex voto assumpti, non nisi ex simplici lana, & absque vllo prorsus ornamento permittendi essent.

23.q.1. cap. Quod militare, vers. Item cum Petro.

AFfert hic Gratianus exemplum S. Andreæ Apostoli, qui videns, concursum populorum fieri, vt se de manibus iniqui iudicis eriperent; ipse e contra & exemplo, & verbo patientiam docens, rogabat eos, ne suum martyrium impedirent: ex quo monemur nos omnes, sicut proprias, ita & sociorum iniurias patienter tolerare: nec ad arma concurrere. Quare iure optimo cautum est per varios sãctissimos Pontifices, quod vindicta transuersalium in statu Ecclesiastico maximis pœnis afficiatur tam temporalibus, quam etiam spiritualibus, nempe, excommunicationis latæ sententiæ cum reseruatione, vt ex Constitut. Clementis VIII. cuius

ini-

initium est, *In sancta Beati Petri Sede,&c.* quæ etiam extensa, & ampliata fuit a nonnullis Posterioribus Summi Pontificibus, nempe, Pio V. *Ex superna,&c.* atque Sixt. V. *Hoc nostri,&c.*

23.q.8.cap.Si nulla.

CVm in textu dicatur, quod Deum tentat, qui habet, quod faciat, vnde suam, & aliorum salutem præcauere queat, & non facit, dubitari potest.

An peccauerit quidam Rector Ciuitatis, qui ad experiendam probitatem, & fidem Capitanei bariuorum, seu satellitum, submisit nocte famulos, & amicos ementito habitu deferentes arma vetita, qui obuiam facti eidem Capitaneo exhibita pecunia ex eius manibus, & captura facile se eximerunt.

Et cum plura hinc inde deduci possent, breuiter responsum fuit affirmatiue.

Ratio est inter cæteras, a simili de marito offerente vxori suæ occasionem adulterandi, puta, quia aduertit, illam nimis ab alienis adamari; & propterea cum ea paciscitur, vt cum amasio conueniat de die, ac loco ad perpetrandum adulterium, non quidem intendens eos adducere ad peccatum, sed vt eos cautius a periculo adulterandi amoueat, quem sane maritum peccare mortaliter asserunt omnes, quia non sunt facienda mala, quale esset præbere alicui occasionem peccati manifesti, etiam ob finem bonum, & ad vitanda maiora mala: bonum enim non est, nisi ex integra causa; ad destruendum vero, siue ad incurrendam offensam Diuinam sufficit vnum; de qua re videri possunt Doctores relati per *Sanch. de matrim.lib.10.disp.12.*

Nec facit adducere in contrarium simile illud de patre familias, seu mercatore, qui ad probandam fidelitatem filij, seu famuli consulto dimittūt aliquando capsam, seu ostium talami apertum, vt eis sit liberum velle pecunias subtrahere, vel non: quia hoc non est inducere ad rem aliquam ex se illicitam, sed est habere se negatiue, non auferendo prædictis occasionem delinquendi.

Neque etiam est simile de Principe habente exploratores delictorum occultorum, qui solent tacite permittere subditis sui Domini

mini occasionem peccandi, vt sic eos facilius in delictis deprehendant, & vtilius emendent.

Respondetur enim quamuis existimare debeamus, eam consuetudinem recta intentione fuisse inductam, an tamen satis commendari possit, valde ambigunt sapientes, eruditique Patres; maxime vero *Sotus de iust. & iur. lib. 5. q. 5. ar. 1. ad finem*, dicens sic; Quod fiscales instituantur scrutatores occultorum criminum, crederem, quod neque D. Thomas, neque antiquiores Sancti probassent: at postquam consuetudo hæc habet, non est nostrum de hoc censere, hæc ille. Si vero instituerentur exploratores eiusmodi non ad puniendum quidem, sed solummodo ad occurrendum delictis, & excessibus populorum; humana nanque natura nostra noua semper machinatur adinuentiones in peccatis; hoc sane facile damnandum non esset, quinimmo laude dignum esset, iuxta illud, Principijs obsta, sero medicina paratur. Et ex his patet responsio ad quæsitum, &c. Saluo.

26. q. 5. cap. Episcopi.

TEnentur Episcopi, eorumque ministri omnibus modis elaborare, vt artem magicam a Zabulo inuentam, vt hic in textu dicitur, ex parochijs suis eradicent. Vnde pro facultate Inquisitorum contra superstitiosos, ex Constitut. Sixti V. dicetur infra, de Sortilegijs, cap. 1. in fine. Et præterea ex nouissima Constitut. Gregorij XV. *Omnipotentis Dei, &c.* imminet pœna etiam vltimi supplicij, etiam pro primo lapsu eius, qui sortilegijs ita læserit aliquem, vt ex maleficio, vel sortilegio mors secuta sit. Si vero minus damnum personæ, animalibus, fructibus, seu impotentia generandi, & similia, euenerint; tunc muro includi, seu perpetuis Carceribus Sancti Officij mancipari debet.

30. q. 1. cap. Peruenit ad nos, ibi, in Archiuijs.

AD instar veteris dispositionis huius textus, & similium, maxime *cap. ad audientiam, de præscript.* vbi apparet, extitisse olim archiuia publica ad cōseruationem iurium Ecclesiasticorum.

Nunc

Nunc in ditione mediate,& immediate S. R. E. subiecta,in omnibus Monasterijs, & locis pijs, Ciuitatibus, oppidis, ac terris fieri debent archiuia publica ad conseruationem quarumcunque scripturarum, vt ex Constitutione Sixti V. incipit. *Solicitudo Pastoralis Officij, &c.* Quomodo autem intelligantur prædicta verba, *mediate, & immediate subiecto*; dixi in mea Summa, in Bullam Cœnæ Domini num. 59.

Ibid. cap. Si quis Sacerdos.

PVnitur hic tam filia spiritualis, quæ cum Sacerdote fornicata est,quam & ipse Sacerdos. Nunc autē ex nouissimo iure Confessarius sollicitans in Confessione pœnitentes ad turpia, & inhonesta, denuntiandus est per eundem pœnitentem, nec alias posset absolui; vt ex Constit. Gregorij XV. incip. *Vniuersi dominici gregis, &c.* quam omnino videas ob specialia nonnulla, quæ in ipsa nouiter in hac materia statuuntur; & de qua in mea Summa, *verbo, Confessarius num.* 40. dubia quædam excitaui, vbi etiam eam habebis ad litteram.

Ibid. cap. Nullum, cum seq.

NVllum in causis matrimonialibus iudicandum esse ante iustam probationem,dicitur in hoc textu, propterea forte mea quidem sententia,expediret,vt contradicentes matrimonijs contrahendis propria manu se ipsos subscriberent, & si nescirent scribere, eorum contradictiones reciperentur coram probatis, & idoneis testibus.

32. q. 2. cap. Moyses.

PErcutiens mulierem in vtero habentem,si fecerit abortiuum, & animatum erat,ex lege veteri dabat animam pro anima,dicitur hic in textu,nunc vero dantes causam abortui fœtus animati,vel inanimati subduntur pœnis,de quibus infra *cap. 1. de his, qui fil. occiderunt*, vbi latius.

Ibid.

Ibid. cap. Hoc saltem.

CONformiter ad dispositionem huius loci, in quo nec vidua, nec virgo cogitur continentiam profiteri. Nunc Sanctarum Virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel emittendi professionem quoquo modo sine iusta causa impedientes excommunicationi subijciuntur, de qua in *Conc. Trid. sess.* 25. *cap.* 18. *de regularibus*.

Et habes in mea Summa, *verbo, Monialis, in fine*, tenorem excommunicationis, quam de more fulminat Episcopus post peractam Consecrationem Sanctimonialium, ne quis eorum pacem, & quietem perturbare, seu vexare, earumq. castitati insidiari audeat, vel præsumat, sub pœnis ibi comminatis, tum in res, & bona scelestorũ eiusmodi hominum, tum etiam in corpora, & animas ipsorũ.

33. *q.* 7. *cap. Quod proposuisti.*

SEmper mihi visa est perdifficilis, & ardua huius textus intelligentia, tum quidem ob sui formalitatem, tum etiam ob varietatem opinionum, quas circa illam inuenio; quarum tamen arridet præ cæteris illa, quam refert *Sotus in* 4. *dist.* 33. *q.* 1. *art.* 2. *ad finem*, videlicet, quod hic agatur de infirmitate, dirimente, puta, frigiditate, vel maleficio; vt si quis cum illa scienter contrahendo intendat illam, vt sociam habere, si postea aliam velit ducere, tunc alat priorem, & ita supplere videtur textus *in cap. requisisti* 33. *q.* 1. de quo matrimonio nullo, ob impedimentum perpetuum scienter contracto, loquitur *Nauar. cons.* 3. *num.* 10. *de frigidis, & maleficiatis*; concludens, posse sic coniunctos simul cohabitare, tanquam fratrem, & sororem. Et sic cum omni castimonia, abstinentes se a quacunque immunditia; ab osculisque, & tactibus impudicis: & propterea nec poterunt condormire in eodem lecto: nec alia munia coniugum sibi mutuo reddere; hæc enim habitatio longe distaret a cohabitatione fratrum, & sororum, quæ debet esse castissima. Hæc ille, quem cum alijs multis sequitur *Sanchez de matrim. disp.* 97. *num.* 5. *lib.* 7.

DE

DE POENITENTIA.

DISTINCT. I.

Cap. Quem pœnitet.

CONFORMITER huic ſententiæ, nempe, quod Dominus præcepit mundandis, vt oſtenderent ora Sacerdotibus, docens, corporali præſentia confitenda eſſe peccata, non per Nuntium, vel ſcripturam manifeſtanda; nuper damnata fuit opinio aſſerens, Confeſſionem Sacramentalem poſſe fieri per Nuntium, vel per Epiſtolam, vt apparet ex decreto Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, iuſſu Clementis VIII. in hæc verba, *Sanctiſſimus D.N. auditis votis, &c.* de quo agit Scortia Epitome 163. in Conſtit. Apoſtol.

De hac materia Confeſſionis Sacramentalis dicetur etiam infra *in Clem. Archiepiſcopo, de priuil. in fine.*

DIST. VI.

Cap. Placuit.

INterdicitur in hoc textu, ne quis Sacerdos audiat confeſſionem alicuius, qui antea commiſſus fuerit alteri Sacerdoti. Vnde & nunc facultas perſonis, & locis quibuſcunque conceſſa, abſoluendi a caſibus reſeruatis reuocata, & moderata fuit per vniuerſam Italiam extra Vrbem tantum, vt ex decreto Sacræ Congregationis Epiſcopi, & Regulari, de ſpeciali mandato Clementis VIII. anno 1601. incipit, *Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium Iuſtis, & grauibus cauſis, &c.*

Quod ſane Decretum, iubente eodem Sanctiſſimo, ſequenti mox anno reſtrictum fuit ad ſeptem caſus tantum, in ſpeciali nouo Decreto eiuſdem Sacræ Congregationis expreſſos. Super his autem ſeptem caſibus Iacobus a Graffijs nouiſſime ſcripſit.

Tandem vero Paulus V. anno 1617. declarauit, & iuſſit, eandem

dem prohibitionem absoluendi a reseruatis locum habere, & intelligi etiam de censuris, & casibus eisdem Ordinarijs, vel Sedi Apostolicæ reseruatis, tam ad forum Contentiosum deductis, quam etiam non deductis; vt patet ex altero decreto eiusdem Sacræ Congregationis incip. *Quoniam Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium nuper accepit, &c.*

Quæ quidem omnia procedunt quo ad pœnitentes seculares; quo ad hos autem regulares præfatus Clemens VIII. de anno 1593. per suam Cōstitutionem incip. *Sanctissimus Dominus Noster, qui iam pridem, &c.* prohibuit superioribus regularium reseruationem casuum, exceptis nonnullis in eadem Constitutionem præscriptis, aut omnibus, aut eorum aliquot tantum, prout subditorum vtilitati expedire prudenter in domino iudicauerint.

Quid autem statuerit Concilium Tridentinum, circa eiusmodi casuum reseruationem; vide sess. 14. cap. 7. De qua reseruatione post alios luculenter scripsit Franciscus a Coriolano Capuccinus. Homobonus, & alij. Et ego in mea Summa, verbo, *Casus reseruatus*, ad multos numeros.

DE CONSECRATIONE.

DISTINCT. III.

Cap. Sextam.

PROHIBETVR hic, Christum in Agno depingi, quia forte (ait gloss.) in cruce Christiani olim non hominē, sed Agnum depingebant. Huius dicti occasione notandum est, quod Agni Cerei benedicti prohibentur miniari, seu depingi, vel auro, coloreve aliquo infici sub pœna excommunicationis latæ Sententiæ, vt ex Constit. Gregorij XIII. incip. *Omni certe studio &c.* de qua agit Scortia in Epitome 122. in Constit. Apostol.

Circa vsum autem eiusmodi Agnorum benedict. vetuit olim S. Carolus in suo Concilio Quinto prouinciali, eos in agros proijci, seu arboribus alligari. Sed, quod instituti antiqui est, eorum cera adoleri possit ad suffimigationem in agris ad imminentes tempestates, aliasue diabolicas illusiones depellendas. Et de cereis benedici solitis in die Purificationis, atque etiam de Oliuis, siue Palmis in die Dominico Palmarum, statuit idem S. Carolus in Concilio Tertio prouinciali, fol. 29. ea non esse benedicenda in manibus laicorum in Ecclesia existentium, sed in stato loco; Insuper, ne ad domum eorum deferantur, sed in Ecclesia interessentibus distribuantur, nisi quis Iure Patronatus ea sibi deberi diceret, vel ex infirmitate impediti conuenire non potuerint more suo in Ecclesia.

DIST. V.

Cap. Non mediocriter.

CVm hic agatur de recta ratione orandi, sciendum est, quod Litaniæ, quas continet liber inscriptus, *Thesaurus Litaniarum*, exceptis Litanijs Missali, Breuiario, & Pontificali appositis; nec non illis Beatæ Mariæ semper Virginis Lauret. publice reci-

tari

tari prohibentur, vt in Constit. Clementis VIII. incip. *Quoniam multi, &c.*

DISCEPTATIO.

Per quot Cantores ad minus possit in Choro satisfieri obligationi recitationis Officij Diuini.

Aliquando potest in praxi dubitari, an Collegium clericorum, quod tenetur in Choro recitare horas canonicas, possit huic muneri satisfacere per duos tantum Choristas, seu Cantores assiduos; an vero plures habere debeat.

Et breuiter resoluendo dictum fuit, duos tantum non sufficere, sed tres saltem assidue esse necessarios.

Probatur primo, quia in Choro adesse debet, qui benedictionem consuetam ad lectiones tribuat, & qui illam petat, ad *tex. in cap. denique, 21. dist.* & insuper aliquis alius, qui eam accipiat, & pro ipsa debitas Deo gratias agat.

Secundo, quia & si asserant scribentes *in cap. 1. ver. Congregatio, de elect. & Cardinalis in Clem. 2. q. 14. de rescript.* Collegium Ecclesiasticum constitui ex duobus, vel tribus; id tamen videtur intelligendum conformiter ad actiones per Collegium obeundas, videlicet, vt respectiue ad qualitatem negotij collegialiter pertractandi, possint tres, & aliquando etiam duo tantum sufficere: Liquet autem, teste ipsa experientia, per tres cantores, vtcunque pensum diuini officij vix posse persolui, cum alioquin si duo tantum intersint, & casu emergat nouum aliquod impedimentum, profecto compertum habemus omnes, adeo perturbari Choristas, vt cantus Ecclesiasticus ad excitandos audientium animos ad deuotionem inuentus, *cap. cleros, ad finem, 21. dist.* oppositum potius, irrisionem, videlicet, & contemptum Diuinarum rerum operari possit; Quare conclusum fuit, tres saltem in Choro necessario assidue interesse debere. Saluo semper.

C DE-

DECRETALES.

DE SVMMA TRINITATE.

Cap. Firmiter, ibi, simpliciter confitemur.

PROFESSIONEM fidei quis, & quomodo facere teneatur, post *Conc. Trid. sess. 24. cap. 1. & seq. & cap. 12. & 13. de reformat.* vide Bullam Pij IV. *Iniunctum nobis, &c.* vbi specialis forma de ipsa perhibetur, & communiter habetur in fine eiusdem Concilij.

Et de hac obligatione professionis fidei, dixi nonnulla in mea Summa, *verbo, Professio fidei, a num. 1. ad 6. post Sanchez in decal. tom. 1. lib. 2. toto cap. 5.* vbi abunde traditur, qualiter Episcopis, Parochis, Prælatis religiosorum, Magistris, Doctoribus, Canonicis, & alijs habentibus dignitatem, sit necessaria; & an perdant beneficium, eiusve fructus, aut iuuari possint regula de triennali, si illam non emiserint.

CONSTITVTIONIBVS.

Cap. Canonum statuta.

MAndatur in hoc textu, Canonum statuta ab omnibus esse custodienda. Vnde notandum, quod Decreta, & Constitutiones Conciliorum Prouincialium publicari non posse absque approbatione Romani Pontificis, statuit Sixtus V. in sua Constit. incip. *Immensa Æterni Dei, &c.* §. Deo autem, circa medium, & ita in praxi quotidie seruari videmus.

ELECTIONE.

Cap. Nullus in Ecclesia, ibi, per cupiditatem.

QVamuis hic prohibeatur, aliquem Ecclesiam acquirere per cupiditatem, tamen non videtur Parochus appetere Ecclecle-

clesiam per cupiditatem, qui de alia simili antea prouisus, ad aliam postremo vacantem accedit; cum ex *Iure Concilij Trid. cap. 18. de reform. sess. 24.* libera cuique facultas concurrendi tribuatur. Regulariter tamen seruari videmus, vt non habens beneficium, etiam minus dignus, præferatur illud habenti *per cap. is, cui, de præbend. in 6. Rot. decis. 767. num. 1. & 5. Seraph. Garz. de benefic. par. 7. cap. 9. num. 13. & 14.* Hoc autem intelligitur procedere dummodo in illo beneficio nulla alia sit forma certa, seu conditio in fundatione apposita; hæc enim profecto esset omnino seruanda. *Rota decis. 774. num. 3. eiusdem Seraph.*

Cap. Ossius Episcopus.

Electio Episcoporum hodierno tempore celebratur iuxta Constit. Gregorij XIV. incip. *Onus Apostolicæ Seruitutis, &c.* de qua dictum est supra dist. 25. cap. vlt.

Cap. Licet de vitanda.

Electio Romani Pontificis, de qua in hoc textu fit mentio; quomodo nunc celebranda sit, vide supra dist. 79. §. 1.

Cap. Quia propter, §. illud autem, ver. Impedimentis detentus.

DISCEPTATIO.

Quomodo excipiendum sit votum Electoris tempore electionis in lecto decumbentis.

PRohibentur hic electores procuratorem constituere in electionis negotio, nisi sint legitime impediti, sed quia inter cætera impedimenta, quibus electores detineri possunt, ne intersint electionibus faciendis, frequentior est ægritudo corporalis; Ideo occurrit hic dubitare de consuetudine quorumdam regularium mittendi scrutatores capitulares ad excipienda vota Vocalium in

C 2 lectu-

lectulis eiusdem Monasterij, in quo celebratur electio, decumbentium, sit ne licita, an potius etiam necessaria.

Pro sufficienti autem informatione facti, præsupponitur primo, eosdem scrutatores consueuisse præmonere eiusmodi electores ægrotantes, antequam vota ipsorum excipiant, de qualitate, ac meritis (quantum ex natura rei humano modo permitti potest) illius negotij, super quo vota excepturi sunt, & de tractatu desuper illo Capitulariter habito.

Secundo præsupponitur, per statuta illiusmet ordinis prohiberi admittere procuratores absentium, vel aliter, & quocunque modo legitime impeditorum.

Vltimo præsupponitur, scrutatores eiusmodi deferre schedulas eligentium complicatas, atque inuolutas ad Præsidem capituli, ac nomina eligentium perpetuo remanere secreta, nec cuiquam in Capitulo aperiri, nisi a tribus scrutatoribus, e gremio Capituli electis, Præsidi Capitulari.

His itaque præmissis, dicitur, prædictam consuetudinem esse rationabilem, atque de iure licitam; sic enim eam in proprijs terminis docent *Hostien. Innocent. & alij, in hoc cap. quia propter, hoc tit. de elect. Angelus, Siluester, Azorius, cum cæteris relatis per Capuc. tract. de elect. fol. mihi* 43. *col.* 1. quod & antea expresse tenuit *Miranda in Manuali Prælat. p.* 1. *q.* 23. *art.* 6. *concl.* 1. Et de hac resolutione nunquam adhuc memini me quenquam legisse, vel leuiter dubitantem. Eam autem defendere a contrarijs, quæ ipsi obstare videntur, facile est; Nam dispositio *capituli penult. in fine, hoc tit. lib.* 6. nihil facit contra ipsam, quia diuersa facti species ibi perpenditur; cum illo in textu agatur de electore absente a loco capituli, in quo electio erat celebranda, qualis non potest dici decumbens in cœnobio coacti Capituli; sicut nec absens a loco dicitur, qui est intra continentia Vrbis, *l. Collegam, & l. absentem, de verbor. signif.* Præterea, votum ibi exprimebatur viua voce, hic vero per schedulam obsignatam, & in vrnam scrutatorum ab ipsomet eligente iniectam, & nunquam alicui, nisi Præsidi Capitulari vna cum scrutatoribus detectam. Ideo nil mirum videri debet, si ibi ex diuersa facti specie, diuersa etiam emanauerit Iuris dispositio.

Con-

Confirmatur hæc conclusio ex noua constitutione circa electionem Romani Pontificis per vota secreta a Gregorio XV. edita, cuius mentionem fecimus supra dist. 79. §. 1. in qua statuitur forma mittendi scrutatores ad excipienda vota obsignata Cardinalium, in conclaui ægrotantium, ex quo aperte conijcitur, id esse iuri consentaneum, non autem repugnans, aut vllo modo contrarium.

Primo non obstat, eligentium nomina debere semper esse secreta ex *Conc. Trid. sess. 25. cap. 6. de regular.* quia respondetur, in casu nunquam eligentium nomina publicari; cum scrutatores ea recipiant in vrnam iniecta per ipsos eligentes obsignata, & inuoluta, vt in vltimo præsupposito dictum fuit.

Secundo neque etiam obstat, eligentes antedictos, cum non intersint tractatui, & scrutinio, quod in capitulis præmitti consueuit electionibus celebrandis, *cap. fin. hoc tit. in 6.* non posse recte, ac iuste sententiam suam proferre, quia de qua re cognouit Iudex, de ea tantum potest, & debet iudicare, *cap. cum super, de causa possess. & l. de qua re, de Iudicijs*, quia huic obiectioni satisfactum fuit in primo præsupposito facti, ex quo constat, electores sic impeditos informari a scrutatoribus de qualitate negotij, quod posse sufficere, patet ex consimili casu, quem resoluit *Garz. de benef. par. 5. cap. 4. num. 213. in fin.* vbi ita practicari in illo casu testatur, quamuis alias Rota secus censuisse videatur, vna parte tantum informante.

Tertio, & vltimo non obstat, posse electores sic impeditos commodius sibi, atque etiam bono communi vtilius consulere, substituendo vice sui procuratorem; quia in secundo præsupposito dictum fuit, id esse vetitum religiosis illius Ordinis ex constitutionibus suis.

Firma igitur remanet conclusio satis communita, & auctoritatibus Doctorum, & validissimis Iuris rationibus, licitam esse prædictam regularium Consuetudinem excipiendi vota ægrotãtium per scrutatores.

An autem sit etiam necessaria, breuiter dicendum est, si electores infirmi nollent se iure suo abdicare, profecto non possent ab electione repelli: & propterea cum eis non liceat ex speciali iure

Constitutionum Ordinis sui mittere procuratorem, merito dicendum est, eis fore necessarium vti scrutatorum medio, iam vsu recepto, qui, vt supra, fideliter, & secreto vota ipsorum ad Patres in Capitulo coactos, eorum vice, ac nomine deferãt. Saluo semper, &c.

TRANSLATIONE EPISCOPI.

Cap. Licet in tantum.

DISCEPTATIO.

Canonicus transiens a præbenda Theologali ad Pœnitentialem quem locum obtinere debeat in Choro, & in Capitulo.

SVmpta occasione ex præsentis textus decisione quæri posset, an N. Canonicus Ecclesiæ Cathedralis, qui per multos annos possidens præbendam Theologalem, sedensque in loco suæ promotionis in Choro, & in Capitulo, postea obtinens Pœnitentialem in eadem Cathedrali, debeat nunc retinere pristinum locum, vt supra, an potius in vltimo loco tanquam si nunc reciperetur in Ecclesia.

Et omissis multis, quæ hinc inde deduci possent, breuiter dicitur, præfatum Canonicum debere pristinum locum suæ receptionis retinere, & non descendere ad vltimum locum tanquam forte de nouo receptum in Ecclesia, & probatur sic.

Primo, quia, qui prouehitur, de minori ad maiorem locum promoueri consueuit, *cap. legimus, in fi. 93. dist.* mutationes enim, & translationes fiunt ad maiorem Ecclesiam: cum autem in *Conc. Trid. sess. 4. cap. 1. de reform. & sess. 24. cap. 8. itidem de reform.* prius mentio fiat præbendæ Theologalis, quam Pœnitentialis; ab ordine autem arguatur prærogatiua graduum, & dignitatum, late *Euerar. in loco, Ab ordine, per totum;* Consequens erit, ne contingat absurdum, quod præfatus Canonicus non est priuandus loco suæ antiquæ sessionis in Choro, & in Capitulo. Nec præsumendum est, prudentissimum Præsulem eius promotorem, qui liberalitatis suæ munera effundere maxime in optatis habet in eos omnes, quos labor prolixior, & stipendia longiora cæteros merito an-

anteire faciunt, vnquam in animum suum induxisse, nouo quodam mutationis genere, se paruifacere voluisse maiorem, & magnum quodammodo Theologum minorare Pœnitentiarium; conquerente in simili Summo Pontifice in *cap. 1. de translat. Episcopi*, aduersus quendam Patriarcham, quod Archiepiscopum episcopare, immo potius Dearchiepiscopare præsumpsisset.

Id, quod multò minus in casu nostro permitti posset, cum Canonicus non ambitu, nec propria voluntate, sed vtilitate populi; non superbe, sed humiliter translatus fuit a suo Archiepiscopo; cui, sicut conceditur ordinare Sacerdotes, sic, & quoties vtilitas, vel necessitas coegerit, mutare, & inthronizare potest; aliud enim est mutare, aliud vero mutari, *cap. scias frater, & cap. mutationes. 7. q. 1.* cum & maxime rationabile sit, vt quoad fieri potest, cum communi vtilitate etiam priuata retineatur; Ne ergo inducta ad vnum finem contrarium operari videantur, Orator noster non erit a priori loco sessionis suæ deijciendus.

Secundo facit, quod Archiepiscopus translatus ad alium Archiepiscopatum, debet habere nouum palium præter primum, quod semper secum defert, & cum vtroque sepelitur. *Abb. & alij in cap. fin. de vsu, & auct. palij*, quod rationabiliter vel ex eo statutum apparet, ne Prælati in aliquo suam minuere honorificentiam, sed contutari potius, & augere videantur; non enim priuilegium priuilegio aufertur; nec Notarius creatus Doctor amittit priuilegium Notariorum. *Iaf. in l. si Ruffinus, num. 4. C. de testam. milit.* ergo a simili dicendum erit in casu nostro, Canonicum non debere locum antiquum amittere, & ad inferiorem descendere.

Tertio animaduertitur, quod, iuxta notata *per DD. in cap. fin. de consuetud. in 6.* non videtur proprie fieri mutatio, quando is, qui est de collatione, vel corpore, in eodem permanens præbendam mutat, vel domum; Hinc & Doctores dicunt, quod Canonicus, vel Parochus, si semel facta professione Fidei, dimissa priori Ecclesia ad aliam transferatur in aliena diœcesi, oppido, vel loco, debet iterum professionem emittere, non sic autem si in eadem diœcesi: de qua opinione meminit *Aror. tom. 2. lib. 7. cap. 2. in fine*, quam & ipse sequitur, cum eam priori loco referens subdat, *alij dicunt contra*; & sic se ipsum a cæteris secernit, ad tradita

per *Euer. in loco ab auctorit. verſ. Quando autem*. Et comprobatur hac ratione, quia hæc proprie non poſſet dici mutatio, & nouitates, quoad fieri poteſt, vitandæ ſunt, *not. in cap. placuit, diſt. 74.* vbi ex Concil. Carthag. quicunque clerici ob quaſcunque cogentes cauſas Eccleſiarum ſuarum non obtemperauerint Epiſcopis ſuis, volentibus eos ad honorem ampliorem in Eccleſia ſua promouere, præcipitur, ne illic amplius miniſtrent in gradu ſuo, vnde recedere noluerunt; ergo a ratione caſus conuerſiua, ſiue ab oppoſitis arguendo, qui ſunt in Iure validiſſimi modi arguendi, *DD. in l. 1. de ſolut. & l. penult. C. eod. tit.* Cum Orator noſter Antiſtiti ſuo, vt par eſt, prompte paruerit, non erit a priori loco, quaſi male operans, deijciendus.

Vltimo de hoc adducitur aperta Iuris deciſio *in l. municeps ff. ad municipalem*, vbi ille definit eſſe municeps, qui Senatoriam adeptus eſt dignitatem, & ſubditur, Hoc autem procedit quoad munera, ſed quantum ad honorem pertinere creditur, originem retinet. Ergo & in caſu noſtro Canonicus non dimittet priorem locum quoad honorem, ſed quoad functionem Theologalem, vt ſit honor auctus, non conditio mutata dicatur, *ad text. in l. falſa §. 1. de condit. & demonſtr.* Et ex his Canonicus priorem locum retinere debebit. Saluo ſemper.

RENVNTIAT.

Cap. Ex tranſmiſſa.

EPiſcopi, & alij habentes ad id facultatem, beneficiorum renuntiationes admittentes, inter cætera caueant, ne ab ipſis reſignantibus, nutu, verbo, ſeu alio ſigno futuri in eis ſucceſſores deſignentur; alias autem conferentes illis eiuſmodi beneficium ſic reſignatum, incurrant excommunicationem, & alias pœnas, de quibus in Conſtit. Pij V. incip. *Quanta Eccleſiæ Dei, &c.* de qua etiam dicitur infra eodem in 6. cap. vnico.

Cap. Quod in dubijs.

AGitur in hoc textu de modo renuntiandi beneficia; Nunc autem ex iure nouiſſimo reſignationes beneficiorum, atque

que permutationes, publicari debent, iuxta Constitut. Gregorij XIII. incip. *Humano vix Iudicio, &c.* alias irritæ essent, & nullæ, vt ibi per eam, & latius infra lib. 6. hoc tit. cap. vnico.

TEMPOR. ORDINAT.

Cap. Ad aures nostras.

CONformiter ad huius textus dispositionem, in quo religiosi prohibentur ad ordines ascendere contradicentibus ipsorum superioribus statuit *Concil. Trid. sess. 14. c. 1. de refor.* licentiam cuicunque concessam ascendēdi ad Ordines Sacros, vel restituendi ad priores, non suffragari contra Superioris sui voluntatem.

Cap. Cum quidam.

ORdinatio extra tempora punitur hic pœna suspensionis. Ad quam sane dispositionem additur nunc, quod suscipiens Ordines Sacros ante ætatem, vel extra tempora, aut sine dimissorijs, ipso Iure suspensus est ex Constit. Pij II. incip. *Cum ex Sacrorum, &c.* Et sciendum est, quod nouissime Vrbanus VIII. in sua Constit. *Zelo Domus Dei, &c.* sub die 1. Iunij 1627. super restitutione Collegij Illyrici edita, indulsit eius Alumnis, vt eo temporis spatio, quo inibi se se continuerint, litterarum studijs incumbendo, ad omnes etiam Sacros, & presbyteratus Ordines, etiam sine litteris dimissorialibus, nisi habeant Episcopos proprios, a quibus illæ obtineri poterunt, cum ad Collegium ipsum diriguntur, & sine beneficij Ecclesiastici, aut patrimonij titulo; ac etiam extra tempora, dummodo tamen alias ad id reperiantur idonei, promoueri possint, & valeant. Quæ omnia etiam voluit idem Summus Pontifex locum habere quoad Alumnos Collegij Pragensis pro Scholaribus nationis Germaniæ erecti, vt per eius Constitutionem, incip. *Quoniam Diuina bonitatis, &c.* eodem anno editam, & de mala ordinatione, dictum est etiam *supra q. 2. in princip. & cap. si qui a simoniacis 1. q. 1.*

Cap.

Cap. Vel non est compos.

DISCEPTATIO.

Pœna suspensionis a Collatione Ordinum imminens Episcopo ordinanti aliquem clericum ante ætatem debitam, quomodo intelligatur.

IN hunc locum, vbi Episcopus ordinans puerum sacris ordinibus punitur suspensione a collatione ordinum, cõferunt etiam mox dicta superius *cap. præced. vbi videas*.

Et opportune hic dubitatur de Episcopo ordinante Clericum ante ætatem debitam, & postea celebrante ante obtentam dispensationem super pœna suspensionis a collatione ordinum, quam incurrerat ob prædictam malam ordinationem ex dispositione huius textus, an, inquam, effectus sit irregularis, nec ne.

Prima auté facie videbatur, respõdendum esse affirmatiue; quia suspensus exercere ordinem suum, proculdubio non euadit irregularitatem, toto titulo de cler. excom. suspens. ministr. Ergo Episcopus exercens Ordines, vt prius, efficitur irregularis; quia post incursam suspensionem a collatione Ordinum, celebrauit.

Verum e contra, & rectius respondent *Dominicus in cap. eos, de tempor. ordin. in 6. Franc. in cap.* 1. *col. vlt. de re iudicata, eod. lib.* 6. asserentes, eum quidem peccare mortaliter (quod etiam docuit *Florentinus in* 3. *par. summæ, tit.* 14. *cap.* 16. §. 15.) Sed non effici irregularem. Et ratio potuit esse, quia prædicta pœna suspensionis a collatione ordinum, non est proprie censura, quæ prohibet vsum Ordinis; immo, quamuis prædicta suspensio a collatione Ordinum includat quidem Collationem quorumcunque ordinum tam maiorum, quam minorum, qui etiam sunt proprie Ordines, non tamen includit collationem primæ Tonsuræ, quæ nõ est proprie Ordo, sed dispositio ad Ordines, vt esse probabilissimum, *asserit Sayr. de Censur. lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 18. ex illa communi ratione, quod odia restringi, fauores vero ampliari conueniat; sic nec impedire debet vsum Ordinis Sacerdotalis, qui est aliud ab Ordine

Por-

Pontificali: per quem, & ex cuius virtute Ordines conferuntur; ex diuersis enim non fit recta illatio. Videmus etiam, quod Episcopus suspensus tantum a Pōtificalibus, tamen celebrando, etiam cum solemnitate Pontificali, non fit irregularis, dummodo tamen non exerceat aliquod aliud munus Pontificale, & ita contra Angelum defendunt *Silu. Rosella, Arm. Cou. & alij relati apud Auilam de Censur. par. 7. disp. 9. sect. 2. dub. 2. vers. Sed notandum est.*

At prædictis valde obstat Constitutio Six. V. contra male promotos, & promouentes edita, incip. *Sanctum, & salutare, &c.* per quam incurritur ab ordinante interdictum ab ingressu Ecclesiæ, & propterea si posteà in ea celebraret, profectò irregularis efficeretur, ad tradita *per gloss. & communem in cap. is, cui, de sentent. excommunic. in 6.*

His tamen facile respondetur, nihil ea obstare antedictæ resolutioni nostræ; quia Constitutio illa Sixtina fuit restricta per Clementem VIII. ad terminos Iuris communis, & Concilij Tridentini, vt patet ex eius Constit. cuius initium est, *Romanum Pontificem, &c.* excepto tamen vitio Simoniæ, de quo nihil in casu nostro dicendum occurrit.

Vera igitur remanet responsio; Episcopum celebrantem ante obtentam dispensationem a suspensa Ordinum Collatione, minime irregularem fieri. Saluo semper, &c.

SACRAM. NON ITERANDIS.

Cap. Pastoralis.

SI per errorem aliud Oleum, quam quod Infirmorum est proprium, ad ægrotum vngendum vnquam adhibeatur, etiam si Chrismatis, aut Cathecumenorum sit, decreuit (quod tutius est contra aliquos) S. Carolus in Concilio Quinto prouinciali, & vnctionem Olei Sacri eidem adhiberi, & Sacramenti formam iterari. Non inficior tamen, contrariam aliorum in hac re opinionem, esse rationabilem; quam tenent *Suarez tom. 4. in 3. par. D. Thom. disp. 31. sect. 1. num. 9. Coninch. disp. 19. dub. 2. de extrem. vnct. Gregor. de Val. tom. 4. disp. 8. q. 1. punct. 2. Bellarmin. lib. 1. cap. 7. de extrem. vnct.* Et alij, censentes, oleum quodcunque ab Episco-

po

po benedictum, esse materiam sufficientem Sacramenti extremæ vnctionis.

CLER. PEREGR.

Cap. Tua nos.

COnformiter ad huius textus dispositionem de clericis vltramarinis, & valde remotis, non facile ordinandis, statuit *idem S. Carolus in par. 3. actorum Ecclesiæ Mediolanen fol. 32.* Clericos peregrinos non admitti ad celebrandum sine dimissorijs sui Ordinarij duobus tantum mensibus ante, si in prouincia, si extra, in Italia quatuor, sex vero si extra Italiam datis; Et si antiquiores fuerint deferant testimonium de vita, & moribus ab ijs Ordinarijs, in quorum diœcesi post illud tempus aliquandiu permanserint.

OFFIC. IVDICIS ORDINARII.

Cap. Inter cætera, §. vnde præcipimus.

PRæcipitur hic Episcopis, vt viros idoneos ordinare procurent, quos sibi coadiutores assumant in prædicationis officio. Cuius dicti occasione notandum est, quod si communitates consueuerunt a multis retro temporibus sibi prædicatorem assumere, eique sufficientem eleemosinam tribuere, non immerito manutenendi videntur in hac quasi possessione sua, salua tamen remanente Episcopo approbatione Concionatoris.

Cap. Dilectus, ibi, de lege Iurisdictionis.

EX hac ratione, quod Regulares ex lege Iurisdictionis habent Monasteria in diœcesi Episcopis subiecta, a quibus recipiunt Chrisma, Ordinationes, & psallendi Ordinem, colligitur, eos debere seruare horam canendi Vesperas in Dominicis, & diebus festiuis ab eisdem Ordinarijs præscribi consuetam, ne alias illud tam vtile, ac proficuum Doctrinæ Christianæ exercitium præpediri contingat. Et vide supra cap. de ijs, dist. 12. vbi simile quid annotatum fuit.

Insu-

Insuper etiam aduertendum est, in aliquot Ecclesijs recte institutis, expresse declaratum fuisse, parochos notabiliter negligentes in hoc ministerio Doctrinæ Christianæ peccare mortaliter; cum delinquant in re maximi momenti.

OFFIC. VICARII.

Cap. Ad hæc.

CVm igitur in textu dicatur, quod Vicarius perpetuus per Episcopum constitutus, non potest per Rectorem remoueri, vel portione sua fraudari; sciendum est pro intelligentia eiusmodi portionis, quod nunc iure nouissimo Vicarius perpetuus in parochialibus vnitis de more deputandus, debet habere suam portionem fructuum beneficij, cui deseruit, non minorem quinquaginta, nec maiorem centum ducatis; vt expresse cauetur in Constit. Pij V. cuius initium est, *Ad exequendum, &c.* Vide etiam infra hoc tit. in 6. cap. 1.

MAIORIT. ET OBED.

Cap. Cum certum.

STatuitur hic, quod prius ordinatus, cæteris paribus, prior, & Maior sit habendus. Cuius dicti occasione sciendum est, quod Præcedentia in processionibus, siue in alijs actibus publicis seruanda est iuxta Constitutionem Gregorij XIII. *Exposcit Pastoralis Officij, &c.* Per quam sane statuitur, vt, qui ex mendicantibus, vel Confratribus contendentibus de primo loco, seu præcedentia, in quasi possessione præcedentiæ fuerint, ij in processionibus tum publicis, tum priuatis, præcedere debeant; quando vero non constet de quasi possessione huiusmodi præcedentiæ, tunc inter mendicantes, qui in loco Controuersiæ antiquiores; inter Confratres vero, qui saccis prius vsi sunt, præcedere debeant; in alijs vero actibus saluo cuique Iure suo remanente.

Cap.

Cap.Omnes Principes.

MAndabat Sanctus Petrus, vt dicitur hic omnes principes terræ Episcopis obedire. Et quoniam aliquando euenire conspicimus, Iudices laicos interdicere subditis suis, ne absque ipsorum licentia permittant, se in alieno foro examinari; propterea animaduertere oportet, id vergere in præiuditium libertatis ecclesiasticæ, & sic incurri censuras Bullæ Cœnæ Domini, prout alias responderunt Patres Sapientissimi. Posset tamen id declarari procedere, vbi statutum eiusmodi dolose practicaretur contra libertatem Ecclesiæ: alias enim sano modo illud intelligendo non videretur præiudiciale libertati Ecclesiæ.

APPELLAT.

Cap.Personas ecclesiarum.

NOn prosequens appellationem intra terminum a iudice, vel a se ipso statutum, amplius non audiatur, dicitur hic in textu. At nunc appellationes in causis criminalibus in statu Ecclesiastico expediendæ sunt infra sex menses, prout in virtute sanctæ obedientiæ præcipitur in Constit.Pij V. *Licet Iuri,&c.*

Appellationis dies decem a Iure constitutos, esse vtiles, & non continuos, cōtra aliquos, de hoc inaniter dubitantes, vide in *auth. de appellat. & intra quæ temp.collat.4.in princ.in glos.in ver.a recitatione*, ibi, *in publico Iudice apparente;* & aperte tenet *Suar.de relig.tom.1.fol.773.cap.2.ad medium.*

De materia appellat. vide vtilem annotationem *Carauitæ ad tit.C.quorum appell.non recip.*

VITA, ET HONEST. CLER.

Cap.Vt laici.

CLerici seculares tenentur deferre vestes ad præscriptam formam in Constitut.Sixti V. *Pastoralis,&c.* & altera eiusdem Pontificis, *Cum sacrosanctam,&c.* de quibus dictum est supra 21. q.4.cap.Omnis iactantia.

Ca-

Canonicus autem, qui ſimul etiam eſſet Protonotarius, deberet tamen in Choro vti habitu cõ Canonicis ſuis cõmuni, nẽpe, ſuper pelliceo; quia ibi exiſtit tanquam ſimplex Canonicus; ſecus tamen eſſet de Epiſcopis, qui nunqum proprium habitum deponunt.

De vtraque prædictarum Conſtitutionum ſcribit Scortia Epitome 148. & 149.

CLERICIS NON RESIDENTIBVS.

Cap. Non liceat epiſcopo.

CLerici curam animarum habentes, ſi non reſideant, prout de Iure tenentur, & contingat, eos decedere extra reſidentiam, incurrunt pœnam priuationis omnium bonorum ſuorum: Nec non, & licentiæ ómnes teſtandi eis conceſſæ, reuocantur, & irritæ declarantur ex Conſtit. Pij V. *In ſuprema militantis Eccleſia, &c.*

Tempus autem trium menſinm, quibus in *Conc. Trid. ſeſſ. 23. de reform. cap.* 1. permittitur Canonicis, & Dignitatibus abeſſe a ſeruitio Eccleſiæ ſuæ, computandum erit ad rationem dierum, & non punctorum; ſic enim omnis Eccleſiarum conſuetudo interprætata eſt diſpoſitionem eiuſmodi Conciliarem; atteſtante *Garzia de benefic. par. 3. cap. 2. num.* 327. vbi & declarationes varias affert in hac materia.

Cap. Quia nonnulli.

OBtinens ex diſpenſatione Apoſtolica plura beneficia reſidentiam requirentia, puta, Curatum, & Canonicatum, quomodo ſatisfacere debeat obligationi ſuę reſidentię, ſtatuit Pius V. in Conſtit. *Cupientes pro noſtra, &c.* debet enim in parochiali reſidere. Et ſic reſidens in parochiali lucratur omes fructus beneficiorum, exceptis diſtributionibus quotidianis, quæ tantum intereſſentibus ſeruitio Diuini Officij perſoluuntur; nec veniunt nomine fructuum beneficiorum. De hac Conſtit. meminit Scortia Epitome 102.

Cap.

Cap. Tuæ Fraternitatis.

PRiuilegiatus causa studij, vt absens a suo beneficio percipiat fructus, quod aliquando conceditur, vt hic in textu, scire debet, quod eiusmodi gratiæ de non residendo, & percipiendo fructus ratione studij, nunc non valent sine consensu Ordinarij, vt per Constit. Pij IV. *Sanctissimus in Christo Pater, &c.* & communiter habetur in fine Concilij Tridentini.

PRÆBEN. ET DIGNIT.

Cap. Vt nullus.

NUllus iure consanguinitatis assumendus est ad Ecclesiam, vt ex prouidissima huius textus dispositione. Vnde notandum est, quod nunc simile quid videmus, statutum fuisse per Pium IV. in Constit. *Cupientes vnicuique, &c.* per quam interdicitur, beneficia litigiosa impetrari a Iudicibus eiusmodi causarum, seu familiaribus ipsorum procuratoribus, vel coniunctis; de qua scribit Scortia Epitome 75.

Cap. Ad hæc.

CVm singula officia, vt hic in textu dicitur, assiduitatem personarum exigant in Ecclesijs: ideo plures Ecclesiæ non sunt eidem committendæ. Quod si ex iusta causa super hoc cum aliquo dispensaretur, tunc si singula eiusmodi beneficia residentiam personalem requirerēt, residere deberet, vt mox dicebatur, *cap. quia nonnulli, de cler. non resid.* iuxta Constit. antedictam Pij V. in illa Ecclesia, cui cura animarum immineret.

Cap. De multa.

CIrca dispensationes extra Curiam committēdas, statuit *Concil. Trid. sess. 22. cap. 5. de reform.* eas ab Ordinarijs locorum, quibus committentur, esse videndas, & summarie examinandas, an vitio subreptionis careant.

Cap.

Cap. Extirpandæ Consuetudinis, ad fin.

HAbens Ecclesiam vnitam dignitati, tenetur constituere Vicarium in minori, vt residet in maiori, vt dicitur hic. Eiusmodi autem Vicarius perpetuus debet ex fructibus beneficij habere portionem sufficientem, & honestam, vt infra de offic. Vicarij cap. 1. lib. 6.

CLER. ÆGROTAN.

MEdici Hebræi, vel Infideles non possunt licite vocari, nisi in casu necessitatis ad curandos nostros fideles Infirmos, obstante Constitutione Gregorij XIII. *Alias pia memoria, &c.* de hac Constit. agit Scortia in Epitome 131.

HIS, QVÆ FIVNT A MAIOR. PAR. CAP.

Cap. Cum in cunctis.

DEciditur hic, quod in Vniuersitatibus Ecclesiasticis præualeat regulariter, quod fit a maiori parte, nisi minor rationabiliter contradicat. Hoc autem censeo obseruandum hic esse, quod Canonici possent cogi ad exhibendam copiam actuum Capitularium Episcopo, qui semper tanquam caput, prout sibi bene visum fuerit, præsidere potest Capitulo, & corrigenda corrigere. Et propterea non est ei denegandum id, quod alias cuique priuato interesse aliquod prætendenti, facile concederetur.

DE POSITO.

Cap. Grauis illa.

FRuctus Beneficij, lite pendente, deponendi sunt iuxta Constit. Pij IV. *Cordi nobis est, &c.* apud personam honestam a Iudice eligendam: omni contrario abusu diuidendi fructus eiusmodi inter Canonicos, vel Capitula Ecclesiarum, pœnitus sublato.

D EMPT.

EMPT. ET VENDIT.

Cap. Si venditori.

POsset in facto dubitari, ad quid teneretur N. creditor, qui rem sui debitoris penes se pignoratam vendidit, promissa indemnitate in casu euictionis, & postea, mota lite emptori, factaque denuntiatione venditori, res ipsa fuit euicta, an, scilicet, teneatur tantum ad restitutionem pretij rei euictæ de tempore euictionis; an etiam ad fructus, quos emptor in futurum ex eadem re sibi euicta, percipere potuisset.

Et pro congrua huius dubitationis responsione sciendum est, venditorem teneri ad pretium rei euictæ, & insuper ad fructus, seu ad interesse fructuum decursorum post euictionem, & rem ablatam ab emptore, semel sibi denuntiata lite *l. euictis agris, ff. de vsur. Bart. & Ias. in l. quoties in diem, de verb. oblig. cum simil.* Hoc pro constanti præsupposito, considerandum est, venditorem quidem teneri ad fructus post euictionem, seu ad eorum interesse: sic enim eum obligat natura contractus venditionis, vt teneatur actione ex empto ad prædictum interesse fructuum *l. si cum venderes, in fin. de euict. l. euicta l. venditor hominis, ff. eod. tit. & DD. ibidem*, cum semper habenda sit ratio eius, quod emptor habiturus fuisset, si res euicta non fuisset, *l. si sterilis, §. per venditionem, ff. de actione empti, & venditi, l. si traditio, vbi Bald. q. 4. C. eod. tit.*

Ad hæc, Iuris dispositio loquens in venditore, non videtur extendenda, nec intelligenda in omni venditore, qualis esse videtur creditor vendens, vt supra, pignus sui debitoris, vt sic recipiat creditum, quod alias ab eo exigere non valebat; is enim potius dicendus est tertius promissor, quam simpliciter vẽditor: in omni namque actione attendendum est qualis sit agentis intentio, seu, quo nomine quis agere dicatur, late *Euerar. in sua Centuria in loco, A qualitate facti*, per totum. Quare cum creditor vendit pignus sui debitoris, non est dicendus proprie venditor; quia aliud est hoc simplex, & aliud hoc tale; propterea venditor iste cum principaliter agat negotium sui debitoris, non videtur subijciendus obligationi venditoris simpliciter, & proprio nomine vendentis, qui, vt su-

supra; teneri dicitur ad fructus etiam post euictionem subsecutos; sed tantum dicendus erit teneri ad id, quod specialiter, & expresse ex stipulatu deductum fuit in contractu venditionis; videlicet, quod emptor seruetur indemnis; per quam sane obligationem, non egrediendo eius naturam, cum obligationes sint restringendæ, non ampliandæ *l. quicquid adstringendæ, de verb. oblig.* interesse promissum in casu euictionis restringi debebit ad id, quod erat tempore euictionis, non ad postea decurrendum; nec ad fructus futuros; quia qualitas adiecta verbo, intelligi debet secundum tempus verbi, *l. in delictis, §. si extraneus, ff. ad noxal. Bart. in l. toties, ff. milit. testament.* Et hoc probari potest *in l. bonitatis, cum seqq. de euict. in l. si prægnans, eod. tit. & notant vtrobique DD.* quod licet in actione ex empto veniat interesse non solum tempore euictionis, sed etiam omnis accessio futura; Secus tamen est in actione ex stipulatu, in qua interesse consideratur semper prout est a principio obligationis, seu in tempore conuento; adeo quod postea non recipiat augmentum, nec diminutionem *l. vbi exigitur; §. is autem, vbi not. Bart. Bald. Castr. & Ias. ff. eod.* His omnibus accedit, quod consueuerunt Creditores restringere se ad interesse tempore euictionis, & sic ad restitutionem pretij cum rata expensarum ad summum; & propterea talis etiam præsumenda est fuisse intentio particularis N. venditoris, *arg. l. quia assidua, §. quod si nolit, ff. de Edil. edict. l. semper in stipulationibus, ff. de regul. Iuris, cum simil.* liquet autem, Contractus regulari, & intelligi a consuetudine contrahendi. *Crau. de antiq. temp. par. 3. §. materia, num. 119.* Et ex his Creditor tantum tenebitur ad pretium rei de tempore euictionis, vt supra, &c. Saluo semper, &c.

FEVDIS.

Cap. Ex parte tua.

QVomodo aliquando liceat Episcopo, non obstante iuramento de non infeudando, antiquum feudum ad Ecclesiam reuersum, nouo vasallo concedere, statuitur in hoc textu.

Nunc autem solerter attendenda est Constitutio Pij V. *Admonet*

net nos, *&c.* per quam sub grauissimis pœnis nouæ infeudationes bonorum iurisdictionalium Ecclesiasticorum prohibentur; quæ etiam afficiunt tractantes, seu consulentes publice, vel priuatim eiusmodi infeudationes fieri, vt ibi late per eam: in quam nonnulla scripsit Scortia Theorem. 239.

SOLVT.

Cap. Ad hoc, ibi, in verbo, debita.

DEbita Prælati defuncti soluenda sunt iuxta Constit. Iulij III. incip. *Cum sicut nobis nuper innotuit*, *&c.* per quam statuitur, familiares, & seruitores Prælatorum Romanæ Curiæ cum salario mensuali seruientes; pretere non posse salarium ab eorum heredibus, nisi pro biennio tantum; & infra annum solummodo a die obitus illorum.

Quæ sane Constitutio postea innouata fuit per Pium V. in sua extrauaganti, incip. *Cupientes litium anfractus*, *&c.* præscribendo hunc Ordinem in soluendo, videlicet, vt post consignationem annuli, & ornamentorum Capellæ (respectu Cardinalium) prius soluantur debita pro cibarijs, postea pro vestiarijs, vltimo famuli pro mercede conuenta suam recipiant satisfactionem.

De hac Constitutione aliqua scribit Scortia Epitome 64.

PECVLIO CLERIC.

Cap. Inuestigandum est.

CIrca materiam Spoliorum variæ extant Constitutiones Apostolicæ, videlicet, Pauli III. Iulij itidem III. Pauli IV. & Pij similiter IV. & Pij V. de quibus late apud *Nau. in 2. tom. suorum operum in speciali tract.* *&* *Steph. Quarant. in ver. Spolia Clericorum*; Et antea Clemens VII. in Constit. incip. *Cum ex corpore*, *&c.* statuit, Meretrices in Vrbe decedentes, debere relinquere quartam, vel quintam partem bonorum suorum Monasterio Conuertitarum, alias Conseruatores eiusdem Monasterij faciunt spolium.

Tandem Paulus V. in Constit. incip. *In Eminenti*, *&c.* decreuit, bona curialium incolarum Vrbis, & Ciuium Romanorum in ipsa

Vrbe, & intra decem miliaria, (non tamen extra residentiam) decedentium,& in eadem Vrbe extantia,non facere spolium.

TESTAMENTIS.

Cap. *Quorundam ad nos*.

EPiscopi,dicitur in hoc textu,non testentur de quæsitis intuitu Ecclesiæ.Et conformiter Clerici nunc prohibentur testari,vel causa mortis donare sine dispensatione,de acquisitis ex fructibus beneficiorum Ecclesiasticorum,vt ex Constit.Pij IV.incip. *Graue nobis,&c.*

Cap. *Nos quidem*.

QVamuis Episcopi tam ex iure veteri, puta, *ex l. nulli licere* 28. §. *& si quidem, cum ibi notatis. C. de Episcopis, & Cler.* cum suis concord.tum etiam ex hoc textu,vbi infra annum a monitione non facta executione testamenti, tunc Episcopus exequi debet;atque tandem etiam ex disposit. *Concil.Trid.sess.22.cap.8. in princip.de reform.*potestatem habeant exequendi pias fidelium voluntates,nouissime tamen attributa est amplissima facultas Officio Reuerendæ Fabricæ S.Petri de Vrbe ad hoc ipsum munus exacte implendū,vt ex varijs Cōstitutionibus de hac materia in bullario nouo relatis,apparet: præcipue vero ex Constit.Clem. VII. *Admonet nos, &c.* per quam exemptiones, & priuilegia eiusmodi officio indulta sunt;& ex altera Pij IV.incip. *Et si per diuersos,&c.* per quam Notarij cogi possunt ad ostendenda testamēta post annum a die mortis testatoris; Atque etiam Pij V. *Et si omnium litium, &c.* per quam duæ sententiæ deffinitiuæ in causis Fabricæ S. Petri faciunt rem Iudicatam; nec non ex altera eiusdem Pij V. *Exigit, &c.* quæ concedit ei applicationem medietatis legatorum piorum per triennium non exactorum. Quæ sane Constitutiones postmodum multipliciter declaratæ fuerunt per Eminentissimos DD. Cardinales eidem Fabricæ deputatos, vt videre est apud Quarān.in ver.Fabrica S.Petri de Vrbe.

SEPVLTVRIS.

Cap. Nos instituta.

SEpulturæ defunctorum prohibentur nunc fieri super terram, iuxta Const. Pij V. *Cum primum, &c.*

Opportune hic adnotandum censeo laudabile Statutum *S. Caroli in Concilio Sexto prouinciali*, circa corporum sepulturam, vbi decernitur, corpus sepulturæ non esse tradendum ante horam duodecimam postquam spiritum exalauit: eius vero, qui repentina morte occubuit, ante vigesimam quartam horam; nisi aliter Episcopo agendum esse videretur.

Et in Concilio quarto decreuit, sepulcra operienda esse duplici tegumento; ita tamen, vt inferius tegumentum ex rudi, superius vere ex polito lapide struantur.

DECIMIS.

Cap. Interdicimus.

PErsonæ Ecclesiasticæ interdicuntur hic recipere in pignus decimas ad alienas Ecclesias pertinentes: possunt tamen iuste postulare decimas sibi iure debitas, easque exigere, non etiam eas appaltare, seu conducere; hoc enim esset species quædam negotiationis, & mercaturæ illis interdictæ.

Et notandum, Prælatos Papa inferiores, non posse nunc post Concilium Lateranense amplius Decimas infeudare. *Rot. decis.* 142. *num.* 5. *Seraph.* De hac materia decimarum nonnulla tetigi in mea summa, in 4. impress. in ver. Decimæ, per totum.

REGVLAR.

Cap. Nullus tondeatur.

MAndatur hic, neminem admitti ad Religionem, nisi valentem, & in ætate debita constitutum.

At nūc omnino videndæ, ac sedulo obseruandæ sūt Constitutiones permultæ, quæ à tēporibus Sixti V. in dies emanare consue-

sueuerunt pro recipiendis in Religione nouitijs, atque eisdem instruendis; ac demum pro vniuersa regularium tam mendicantium, quam non mendicantium reformatione, de quibus in mea summa verbo, Religiosus, in fin. & infra hoc tit. in 6. nonnulla alia de hac materia *breuiter annotantur*.

Cap. Ne Religiosi.

Religiosi fugitiui annuatim sunt requirendi, & cogendi, vt ad monasterium reuertantur.

De fugitiuis, & Apostatis à Religione seruãdum est Decretum nouissimum Sacræ Congreg. Concilij Trident. Iussu Vrbani VIII. editum, de quo infr. Ne Clerici, vel Monachi.

CONVERS. CONIVG.

Cap. Mulier.

Occasione huius textualis decisionis dubitatur, An vir in partibus, vbi hæresis impune grassatur, probabiliter coniiciens, vxorem lapsam esse in hæresim, possit ab ea separari; Ordinesque Sacros, seu Religionem ingredi, & sic amplius ad eam etiam postea resipiscentem, non reuerti.

Ex qua sane præsenti narratione quatuor resultant specialiter examinanda.

Primum est, an vir possit ab vxore diuertere ob causam hæresis.

Secundum, an coniux innocens possit ad Sacros Ordines ascendere, seu Religionem ingredi.

Tertium, an innocens separatus possit persistere in separatione, nec coniugi resipiscenti reconciliari.

Vlt. an hæc procedant in præsumptionibus tantum hæresis.

Ad primum respondetur, videri, dicendum esse affirmatiue, videlicet, posse Coniugem Catholicum discedere ab Vxore in hæresim lapsa, ex eo solum, quod crimen illud admiserit: id enim aperte deciditur in præsenti textu, cum ibi notatis, in ver. remansit, in c. 2. cap. quantum, de diuortio, & c. non solum 28. q. 1. Ratio

est ex traditis per dd. in eisdem locis, periculum peruersionis in coniuge catholico, & propterea etiam addi posset, nedum id ei licere, verum etiam aliquando esse illi necessarium, vbi animæ suæ periculum timeret ex consortio vxoris, labe hæresis infectæ; iuxta illud *D.Pauli ad Titum, 3. hæreticum hominem post vnam, & secundam correctionem deuita.*

Ad secundũ dicitur, posse Coniugem innocentem transire ad Religionem, vel Sacros Ordines assumere, *vt ex c.constitutus, cũ seq. & c. isto, fin. cum simil.* Sed hoc intelligitur procedere non nisi post Iudicium Ecclesiæ, & præcipue quo ad ingressum Religionis, Attentis Constitutionibus Apostolicis de recipiendis Nouitijs, per quas ab eius ingressu arcentur obnoxij redditioni rationum alienæ administrationis; & sic eo magis deuicti obligatione personali, qualis est matrimonialis, vt per DD. in prædictis Iuribus.

Ad tertium dicitur, posse eundem Coniugem innocentem ex concessione sibi facta *in c.de illa, de diuort. & in hoc textu nostro,* persistere in separatione ab Vxore hæretica, non quidem proprio Iure, sed Iudicio Ecclesiæ facto, etiam subsecuta resipiscentia ab hæresi, prout etiam tetigi *in mea Summa, ver. Diuortium, nu.3.*

Ad vlt. nempe, qualis notitia hæresis in præsenti causa requiratur, certa ne, an tantum moralis; dicitur, sufficere moralem, & sic vel propriam confessionem, vel violentas, seu graues suspitiones, puta, si proprijs factis indicaret hæresim operando, manducando, & similia, more hæreticorum peragendo: exteriora enim satis indicant interiora, *vt in mea Summa ver. Hæresis, nu.4.*

RELIGIOSIS DOMIBVS.

Cap. Ne nimia.

Vide annotata sup. c.si quis, 21. q.2. vbi de translatione monialis professæ de vno ad aliud monasterium.

IV-

IVRE PATRONATVS.

Cap. Perlatum est.

VErtitur in dubium, an Clericus possidens beneficium patronatum suæ familiæ, omittensque recitare Diuinum Officium, teneatur restituere fructus, sicut tenentur cæteri omnes Beneficiati, iuxta tenorem Const. Pij V. *Ex proximo, &c.* de qua *Nau. in man. c. 25. nu.* 122. Ratio dubitandi erat, quia Clericus ordinatus ad tit. sui patrimonij, non tenetur ad hanc fructuum restitutionem, secundus omnes, ea ratione, quia proprietas eiusdem patrimonij remanet semper apud se ipsum, nec vnquam transiuit in Ecclesiam; ob quam quidem rationem videbatur idem etiam dici posse in casu possidentis Beneficium Patronatum alicuius familiæ, cuius fructus videntur permanere proprij, cum voluntaria, & spontanea pietate illius in Ecclesiam transferantur, ergo idem Ius videbatur seruandum esse quoad vtrumque casum omissionis Diuini Officij.

Verum hac ratione, & alia quacunque simili cessante, resoluendum est, faciendam esse restitutionem fructuum etiam a possidente Beneficium Patronatum, siue a suis consanguineis, siue etiam a proprio eius patre, qui potuit filium præsentare; siue tandem etiam a se ipso institutum, qui, etiam si non possit se ipsum præsentare, posset tamen Episcopus motu proprio conferre illi Beneficium eiusmodi, vt colligitur. ex c. per nostras, de Iure Patronatus; semper enim verum erit, fundatorem quemcunque proprijs se bonis suis exuere, eaque in Ecclesiam Patronatam cum omni Iure suo *transferre, saluo sibi remanente Iure patronatus.*

CELEBRAT. MISSARVM.

Cap. Presbyter mane.

LIcentiæ omnes celebrandi missam tempore vespertino reuocatæ fuerunt per Const. Pij V. incip. *Sanctissimus in Christo Pater, ad cuius notitiam, &c.*

C.Do-

Cap. Dolentes, §. sunt, & alij.

VAlde confert ad occurrendum fraudibus, & negligentijs Capellanorum, cuique ipsorum propriam celebrationis diem statuere, quo sic manifeste apparere possit, an fideliter, nec ne sua munera exequantur ad præscriptam cuiusque capellaniæ institutionem.

Cap. Litteras tuas, ibi, pane fermentato.

AB officio, & beneficio deponitur celebrans in pane fermentato, dicitur hic in textu. Et conformiter ad hoc dictum, facultates, ac licentiæ omnes concessæ Sacerdotibus græcis celebrandi more latino, vel è contra, Sacerdotibus latinis conficiendi ritu græcorum, reuocatæ fuerunt per Constitut. Pij V. *Prudentia Romani Pontificis, &c.*

RELIQ. ET VENER. SANCTOR.

Cap. Audiuimus.

SIne licentia Romani Pontificis prohibetur hic, venerari aliquem pro sancto; Et conformiter ad hanc dispositionem nuper emanauit Constitutio Vrb. VIII. *de qua inf. hoc eo. tit. c. 1. in 6.*

Cap. Cum ex eo.

RElIiquiæ Sanctorum passim ostendi non debent, vt dicitur hic, ne circa illas populus decipi possit. Sic etiam non videtur probabilis aliquorum vsus corradēdi ossa, & reliquias Sanctorum, vt ipsarum puluis ab ægrotis assumatur ad depellendos corporis languores. Idem etiam videtur rationabiliter dicendum de assumentibus oleum sanctum ad prædictum effectum.

Opportunè hic admonitum velim lectorem, Sanctum Carolum laudabiliter de more sanxisse in Conc. 4. prouinc. p. 1. ne reliquiæ sanctorū per laicos homines cuiusuis ordinis, vel dignitatis

tis tractentur, ne ve tangantur; cum hoc sacrilegum esse Sanctus Gregorius Papa scriptum reliquerit.

BAPTISMO.

Cap. Si quis puerum

Occurrente difficultate pueri extra corpus matris apparere incipientis, & propterea dubio extantis, sit ne baptizandus, an non, videtur tanquam tutior amplectenda doctrina Eminentissimi olim Cardinalis Paleotti in libello inscripto, *Compendio de gl'ordini del Signor Cardinal Paleotti, & Successori per li Curati di Bologna, fol.* 38. vbi legitur. Pueri apparentes extrà vterum Matris cum brachio, vel pede, vel digitis cum imminente mortis periculo baptizentur; Sed egressi viui iterum sub conditione, si non es baptizatus, &c. baptizari debent. In capite vero apparentes possunt baptizari absque hæsitatione aliqua, & obligatione iterum baptizandi.

Admonitos etiam hic volo quoscunque Parochos, ac Rectores animarum, vt memores sint sapientissimæ, simulque pijssimæ Institutionis, quam S. Carolus circa huius Sacramenti administrationem reliquit *in Concilio quinto Prou. fol.* 55. in hæc verba.

Infantes simplici amictu ad Baptismum deferantur; nec vllum ornamentum, vel aliud quidquam, quod mundi huius pompam præseferat, adhiberi patiatur parochus; cum minime consentaneum sit, in ipso vitæ Christianæ ingressu statim iis rebus studeri, quibus potissimum solemni sponsione renuntiatur.

ECCLESIIS ÆDIFIC.

Cap. Ad audientiam.

Tunc autem si Ecclesia noua Parochialis erigenda erit, rationabile erit, quod id totum præstetur absque præiudicio parochi possessoris illius temporis. *ad l. fi. §. sed & si quis, vbi Bal. in 3. col. C. commu. de lega. gl. in auth. quomodo oport. episcopos. §. sed neque effusas*

IMMVNIT. ECCLES.

Cap. Vt in domibus.

IN Authentico collat. x. tit. 43. legitur, olim Ecclesiæ Constantinopolitanæ maioris centum, & mille officinas ab omni vectigali liberas extitisse. Quod ad exemplum nostrorum temporum hic admonuisse libuit.

De hac immunitate Ecclesiarum agunt ex recentioribus *Scortia theor. 152. & 385. Azor. tom. 2. fol. 621. lib. 9. cap. 6. Barbos. in collect. ad cap. id Constituimus 17. q. 4. Remig. de Immunit. Eccles. Suarez. de Relig. tom. 1.* Et insuper plures alij, qui speciales tractatus ediderunt in hac materia, & in Const. Greg. XIV. de qua mox infra.

Cap. Inter alia.

REi confugientes ad Ecclesiam non sunt inuiti inde extrahendi, statuitur hic in littera.

At nunc in extrahendis laicis ad loca Sacra Confugientibus, solerter attendenda est Constitutio Greg. XIV. *Cum alias, &c.* de cuius intelligentia scripserunt plerique recentiores, Ambrosinus, videlicet, *Pater noster Pelegrinus, Farinac. Ricc. in collect. parte 1. Coll. 104. & par. 3. Coll. 503.* qui tamen semper est intelligendus, salua obseruantia Constit. præd. Gregor. XIV. & plerique alij.

Cap. Aduersus Consules.

CLerici non debent inconsulto Summo Pontifice subuenire necessitatibus ciuitatum, etiam vbi non suppetunt facultates laicorum, vt hic in tex. Vnde videtur, Ecclesiasticos non esse compellendos per Iudices laicos reuelare frumenta suarum possessionum, sed id præstabunt Superiores Ecclesiastici per sua propria edicta conformiter promulganda ad proclamata eorundem laicorum, ne ab his indebite clericos molestia affici contingat.

gat. De qua re late per relatos apud *Henriq. lib.* 10. *de Sacram. Ordin. cap.* 15. *num.* 7. *cum seq. in tex. & in comment. Genuens. in praxi, cap.* 22. *&* 94.

Cap. Immunitatem Ecclesiasticam.

CONfugientes ad Ecclesiam si sub spe immunitatis deliquerant in Ecclesia, vel cœmiterio, non gaudent immunitate Ecclesię, vt in hoc tex. dicitur. At notandum est, quod per ante dictam Constitutionem Gregorij XIV. non videtur, ex sententia multorũ, derogatũ dispositioni præsentis capituli: attamen in praxi contrarium seruari videmus, & sic nedum priuilegijs quibuscunque, sed etiam iuri communi per eam derogatum fuit.

DISCEPTATIO.

An Iudex Laicus iubens, interfici reum in Ecclesia existentem, quem putabat, non posse gaudere immunitate Ecclesiastica, incurrat pœnas antedictæ Constitutionis Gregorianæ, tam ipse, quam ministri, & executores prædictæ iussionis, & mandati.

IN hanc Constitutionẽ incidit Dubitatio de Iudice Laico, qui cum obtinere nequiret facultatem ab Episcopo loci abducendi ab Ecclesia homicidam, prætensum, eius iudicio, tanquam assassinij reum, non gaudere immunitate ecclesiastica, tandem iussit satellitibus suis, vt eum in eadem Ecclesia commorantem interficerent. Propterea in dubium vertitur, an sit locus dispositioni prædictæ Extrauagantis Gregorianæ, tam respectu executorum, quam Iudicis mandantis occisionem.

Pro cõstanti autem supponitur, eos omnes, tam iudicem, nempe, quam etiam satellites incurrisse pœnas de iure veteri latas contra immunitatis Ecclesiasticæ violatores, *iuxta cap. definiuit,* 14. *q.* 4. *l. præsenti. C. de his, qui ad eccl. confug. cum simil.*

Solum ergo remanet videre, an etiam subdantur pœnis prælatæ Constitutionis Gregorianæ. Ratio dubitandi est, quia per

eam nulla sit mentio de occidentibus, vel mandantibus, occidi: sed tantum de capientibus, carcerantibus, vel abducentibus reos ab ecclesia, in quam se receperant. & propterea, cui non conueniant verba legis, neque lex ipsa conuenire potest, iuribus vulgar .

Qua tamen ratione, & quacunque simili cessante, verius videtur esse contrarium quoad vtranque partem propositæ dubitationis. Et ratio decisionis est & primo respectu executorum; quia cui denegatur id, quod est minus, multo magis id, quod est maius. Vnde, suspensus ab ordine subdiaconatus, censetur etiam suspensus ab exercitio diaconatus, & magis etiam ab vsu presbyteratus; secum enim pugnaret, suspendi quem a canendo epistolam, & postea eidem licere celebrare missam; & hinc est illud commune philosophorum axioma, Propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Capere autem, & carcerare reos in ecclesia receptos, vetitum est, ne quid damni eis indebite inferatur; multo magis ergo censendum est vetitam esse læsionem, & mortem; alias enim dispositio illa deseruiret de vento.

Nec quidquam facit ratio illa deducta ex proprietate verborum prædictæ extrauagantis, capere, nempe, vel carcerare, &c. quia respondetur, ea omnia satis verificari formaliter, & iuxta mentem dispnnentis; ne, scilicet delinquentes, & in ecclesia se recipientes, abducantur ab ea, protegente ipsos immunitate ecclesiastica, & sic nec in bonis, nec in persona quidquam nocibilitatis perpeti debent, nec ex captura, nec ex percussione, aut alio corporali detrimento.

Nec dicatur, non esse faciendam extensionem de casu ad casum in odiosis. Quia respondetur, quod dispositio etiam odiosa, si ex ipsius ratione expressa extenderetur, non esset vere extendere, sed comprehendere tanquam genus species suas: sicut etiam illa dicitur continere species, & casus omnes, qui eiusmodi expressæ rationi conuenire possunt; & ita hæc erit interpretatio intellectiua, non extensiua.

Pro quo datur instantia de cōburente ecclesiam, qui non euadit excōmunicationem latam contra eam effringentem, & expoliantem, de qua in *cap. conquæsti, sent. excomm. satis enim amouet rem a loco, qui eam corrūpit l. qui tabulas, in fi. de furtis. Suar to.* 5.

disp.

disp. 22. §. 1. *num.* 15. *Less. lib.* 2. *cap.* 45. *dub.* 4. & tamen non videretur includi, attenta ratione illa, quod comburens, non confringat proprie, vel expoliet ecclesiam.

Accipe aliud simile de propinante venenum personæ Ecclesiasticæ, qui materialiter non percutit, attamen non euadit excommunicationem canonis contra inijcientes manus violentas in personã ecclesiasticam, iuxta communiter scribentes in hac materia, excepto vno *Roderiq. in Sum. par.* 1. *cap.* 8. *num.* 13. *in fin.*

Idem etiam apparet in *l.* 1. *C. de raptoribus*, vbi si vir rapit mulierem punitur. Idem autem seruaretur, si e contra, mulier raperet virum: quamuis hoc, tamquam raro contingens, non fuerit expressum: attamen quia iste casus omissus omnino similis est expresso, ideo ex coniecturata mente disponentis fit extensio: pro quo adducitur doctrina *Decij in l. si mater, num.* 2. *C. de instit. & substit. Tiraq. de retr. lignag.* §. 20. *glos. vnic. nuxi. & facit l. Titius, de lib. & posth.*

Et quæ dicta sunt de executoribus, eadem etiam ob eandem rationem procedunt quo ad Iudicem mandantem: pro quo affertur simile de cẽsura lata in sepelientem vt *in cle. vnic. de sepult.* vbi quamuis tantum puniatur sepeliens corpus excommunicati, tamen hoc etiam procedit in omnes cooperantes, ne alias reddatur illusoria illa dispositio, vt per Doctores ibi cõminiscentes, & maxime per *glos. in ver. sepelire, & ego in mea Sum. ver. Sepult. nu.* 5.

Confirmatur hæc resolutio ex verbis illis in fi. eiusdem Extrauag. ibi. Quod si quis quacunque auctoritate, &c. quæ sane verba, ne effectu suo frustrentur, profecto non sunt intelligenda, nisi de Iudicibus, & magistratibus, non de satellitibus qui dignitate, vel auctoritate nudati existunt, & per quos consueuerunt magistratus iussa sua exequi.

Et sic in praxi videmus, eos vna cum ministris solitos declarari transgressores immunitatis Ecclesiasticæ. Quare concludendum est, & Iudicem, & ministros antedictos non posse euadere pœnas Constitutionis Gregorianæ. Saluo semper, &c.

NE

NE CLERICI, VEL MON.

Cap. Multa sunt.

ENumerantur hic multa negotia secularia, quibus Nemo militans Deo applicare se debet. Specialiter autem obseruandum est. Vetitum esse tam Ecclesiasticis, quam laicis quibuscunque sub pœna excommun. latæ sent. & alijs temporalibus, extrahere frumenta, & bladas e statu immediate, vel mediate subiecto S. R. E. vt ex Const. Greg. XIII. *Volentes, &c.*

Quæ per eundem fuit extensa etiam ad facientes extrahi, & ad impedientes afferri victualia ad Vrbem; nec non & ad ementes vltra vsum suæ familiæ ad annum, vt ex eius altera Const. Incip. *Inter multiplices, &c.*

Tandem post alias Constit. de ead. re latas a Clem. VIII. & Paulo V. nouissime Gregorius XV. moderando pœnas in supradictis Constitutionibus inflictas, noluit, eas procedere quo ad extrahentes absque mercatura, vel malitia, vel fraude, ac nonnullos casus specialiter expressos in sua Const. incip. *Romani Pontificis prouidentia, &c.*

In qua Statuitur, quod de cætero omnes personæ, quæ in prædictis Constitutionibus annonæ extrahi prohibitæ, eam solummodo quantitatem, quæ ad necessariam sustentationem suam, & familiarum suarum vnius anni, siue vsque ad nouam messem sufficiat, extra statũ nostrum Ecclesiasticum S. R. E. immediate subiectum ad statum mediate subiectum; nec non quod pauperes, qui fasciculos spicarum in agris relictarum, vnius diei labore collectos, pro victu, & necessitate tantum sua diurna.

Ac similiter quod Religiosi mendicantes, qui granum, & legumina cum similibus pro eleemosinis data pro victu cõuentuum communi: ac præterea quod rustici, & pauperes operarij, qui mercedem diurnam non nisi in grano, aut alijs annonæ generibus, consequi possunt: quique ad mercatus pullos, oua, fructus, & similia in parua quantitate ferunt, ex pretio prædictarum rerum panem, farinam, & similia pro suo, & familiarum suarum vsu, & necessitate dumtaxat, e locis status prædicti immediate subiecti

ad

ad loca status nobis mediate subiecti; aut etiam extra statum nostrum Ecclesiasticum extraxerint, & asportauerint: dummodo omnis dolus, & fraus absit, ac mercatura, excommunicationis pœnam, ac censuras Ecclesiasticas non incurrant. Non obstan. &c. Admonentur autem omnes Christi fideles, vt huiusmodi pastoralis indulgentiæ beneficio non abutantur, & agi meminerint de dispendio salutis æternæ, &c.

Verba autem illa, *Immediate, vel mediate subiecta,* quomodo intelligenda sint, dixi in mea Summa, verbo, Extrahere, num. 6.

DISCEPTATIO

An incipiens extractionem frumenti extra statum Ecclesiasticum, vel potius eam perficiens, incurrat pœnas extrahentibus inflictas.

ACcidit casus, quod quidam extrahens frumentum e statu Ecclesiastico appropinquasque Confinio eiusd. status, inciderit in latrones, qui abstulerunt ei frumentum, & prosequentes extractionem, transtulerunt ipsum extra Iurisdictionem, & statum Ecclesiasticum, queritur modo quis eorum inciderit in excommu. de qua hic supra, an scilicet, qui incepit extrahere, an potius ipsi latrones.

Re vera autem quamuis extractio executa fuerit perfecte, atque complete medio illius principij, & transuectionis vsque ad confinia; tamen, quia communiter asserunt scribentes, quod parum distat, nihil distare videtur, propterea dicendum esset illum, qui incepit extrahere, incidisse in præfatam censuram.

Verius tamen est contrarium; quia in censuris attenditur actio consumata, cui imponitur censura, & in terminis huius quæstionis, ille, qui incipit extrahere, nunquam dicitur extraxisse, vt notat *Bald. in l. neque commissum, Cod. de vectigal. & alij sequuntur.*

Nec obstat regula ante dicta; quia illa vniuersaliter non est vera, & do instantiam de exercitu, qui parum abfuit, quin transiret per agros segete plenos, ergo tenebitur ad restitutionem damni, quod intulit per illos transeundo, cum similibus alijs, quæ mul-

ta continerent absurda, & ideo, nec dicenda, vt in specie declarat *Philiar. lib. 2. cap. 23. Per. Nau. lib. 3. cap. 2. num. 28.*

At bene verum erit, quod si damnum illatum fuit, æstimabitur iuxta regulam ante dictam, nempe, quia nihil distabat recolectio fructuum, propterea damnum illorum æstimabitur, ac si tunc temporis fructus perfecti fuissent. Quare non erit excommunicatus, qui incepit, sed qui perfecit extractionem. Saluo semper.

Cap. Sacerdotibus.

QVis autem Regularis hodierno tempore censendus sit incorrigibilis, & quomodo superior se debeat habere cum illo, extat nouissimum speciale Decretum Sacræ Congreg. incip. *Eiectorum, & fugitiuorum statui, &c.* vbi inter cætera statuitur, non posse eijci quemquam regularem ab Ordine sub titulo incorrigibilitatis, nisi per annum detentus fuerit in Carceribus in ieiunio, & pœnitentia. Proindeque vnaquæque religio priuatos habeat carceres in qualibet saltem prouincia. Post annum in sua peruicacia persistens eijci quidem poterit, sed non nisi a Generali tantum, de consilio, & assensu sex Patrum, ex grauioribus Religionis in singulis Capitulis, vel Congregationibus generalibus eligendis, quanquam non nisi instructo, secundum eorum stylum, & Constitutiones, processu, & plene probatis causis expulsionis ad sacrorum canonum præscriptum. Sic vero electi nec redeuntes ad Religionem incedant in habitu Clericali subiecti obedientię ordinarij, cui per Generalem illico notificetur expulsionis sententia. Prohibenturque superiores concedere illis litteras testimoniales, sed remittant ad Sedem Apostolicam, vel iubeant aliam ingredi Religionem. Admonentur tamen ijdem Superiores, ne faciles sint ad huiusmodi grauissimum expulsionis remedium. Remanent autem perpetuo suspensi ab exercitio ordinum sublata ordinarijs locorum facultate eam suspensionem moderandi. Tandem renouat Sacra Congregatio dispositionem cap. finalis, de regular. etiam in iuste expulsis, obligans superiores, vt bis in anno Decreta Clem. 8. vna cum his ordinationibus, in publica mensa perlegi faciant, &c. sub pœna priuat, &c.

SPON-

SPONSAL. ET MATRIM.

Cap. De francia.

CОnsuetudo patriæ non seruata, non inualidat matrimonium, vt hic in tex. Et obseruandũ est, quod ad dispensationes matrimoniales consequendas sufficit exprimere gradum remotiorem; obtentis tamen postea super propinquitate litteris declaratorijs, vt ex Const. Pij IV. *Sanctissimus in Christo Pater, &c. & communiter habetur in fine Concilij Trid.*

EO, QVI COGNOVIT CONSANG. VX. SVÆ.

Cap. Fraternitatis.

INcestuosi in quibusdam casibus grauioris impudicitiæ in statu Ecclesiastico prelectendi sunt pœna vltimi supplitij. Hi autem Casus recensentur in extrauag. Sixti V. *Volentes quantum in nobis est, &c.* vbi statuitur, quod quicunque matrem, & filiam, siue duas sorores, germanes scienter cognouerit, etiam si eæ, vel altera earum publicæ meretrices sint; siue clam, siue palam, aut in figura matrimonij tale crimen admiserint; siue cum altera earum matrimonio coniunctus sit, moriatur. Idem est de muliere, quæ sciens matrem, filiam, aut sororem suam cum viro rem habuisse, etiam si alteri eorum matrimonio copularetur. Similiter etiam dicitur de meretrice scienter se comiscente cum patre, filio, siue cum duobus germanis fratribus.

SECVN. NVPT.

Cap. Vir autem.

DIcitur hic, si vnus ex coniugibus fuit alias benedictus, non debent coniuges de nouo benedici. Attamen vbi vigeret consuetudo benedicendi nuptias virginis, quam viduus duxerit, illa seruanda esset; vt per Rituale Roma. iussu Pau. V. editum, vbi de Sacram. matrim. agitur.

ACCVSATIONE.

Cap. Qualiter, & quando, 2.

STatuitur in hoc textu, non esse inquirendum contra aliquem sine præcedenti infamia. Vnde, conformiter huic dispositioni decreuit Concilium Tridentinum sess. 29. c. 6. de reform. in causis criminalibus contra personas capitulares procedendum esse cum duobus Canonicis deputatis ex parte Capituli. Quod tam in grauibus, quam in leuibus Rota intelligit, vt *Ex decis.* 710. *num.* 1. *&* 4. *Seraph.*

Hoc autem non videtur habere locum in Ecclesia non exempta; nisi illa ex immemorabili tempore consueuisset eiusmodi assistentes deputare; quæ sane consuetudo cum possit tollere, atque etiam tribuere Iurisdictionem, retinenda esset.

Et quid Statuerit prædictum Concil. Triden. circa testes reijciendos contra Episcopos, vide sess. 13. cap. 7. & 8. de reform.

SIMONIA.

Cap. Nemo presbyterorum.

SImonia est pretio, vel fauore celare peccatorem, vel reconciliare non pœnitentem, vel quid tale admittere, pro re aliqua temporali, dicitur in hoc tex. Quare sciendum est, quod simile quid habetur in Constitutione Pij Quinti incip. *Durum nimis*, in qua statuitur, beneficiarios capientes possessionem beneficij non debere conferre quidquam, nec ex consuetudine, nec ex indulto alicui Ecclesiæ concesso, reuocatis quibuscunque contrarijs, sub pœna excommunicationis, suspensionis, & interdicti, respectiuè.

Cap. Tua nos.

SI Clericus, vt hic decernitur, donat bona sua Ecclesiæ cũ pacto, vt in Canonicum recipiatur in illa, simoniam admittit. Et similiter præsumptiones, & coniecturæ ad effectum puniendi

di obtinentes Beneficia Ecclesiastica per Simoniam confidentialem, declarantur in Constit. Pij V. *Intolerabilis multorum, &c.* vbi variæ huius delicti præsumptiones, etiam ex sola vnius partis intentione probata, faciunt, illud præsumi in foro exteriori: in foro tamen interiori veritas facti semper erit attendenda.

Hanc autem Constitutionem Pij V. habes ad litteram apud *Nau. in Manuali. cap.* 23. *num.* 104. quam & ibidem examinat ad multos numeros.

Dubitatur hic, an peccauerit quidã regularis, opponens alteri regulari, eum esse de Simonia suspectum, eo quod publice constabat, quod elargitus fuerat munera Prælato seculari, quod in illa Religione scandali materiam non modicam præbebat.

Et re vera, supposito pro constanti, quod Regularis subditus munera elargitus sit eiusmodi Prælato, quod etiam Superioribus est interdictum per Bullam Clem. VIII. quæ incip. *Religiosæ Congregationes, &c.* non videtur immunis ab hac suspitione Simoniæ; quatuor enim modis solet peruerti iuditium humanum; timore, odio, amore, & tandem etiam premio, c. quatuor modis xj. q. 3. vnde & dicitur, accipiebant munera, & peruertebant iudicium. 2. Reg. 8. & quod magis est, in fine eiusdem Constitutionis dicitur, quod contra transgressorem procedi, & inquiri possit, tanquam contra furti, & Simoniæ reum; ac perpetua infamia, & ignominia notatus existat. Si ergo manifesta, & publica fuerit illa munerum largitio, non fuit inique illata iniuria Simoniæ. Sed vlterius etiã pot dici, iam famam illius amissam fuisse ob culpam notoriam largitionis munerũ cum scandalo familiæ, & per consequens non erit locus restitutioni, quæ supponit ablationem alicuius boni, ad late tradita per *Petr. Nau. de restit. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 361. *& seq. Saluo semper, &c.*

DE MAGISTRIS.

Cap. Super specula.

DOcentes, & Studentes in Theologia per quinque annos de licentia Sedis Apostol. percipiunt fructus beneficiorum, vt disponitur in hoc tex.

De Lectoribus autem Sacræ Scripturæ in Cathedrali deputandis ex mandato Concilij Trid. dicendum videtur de Iure eis non deberi distributiones quotidianas; nisi pro illis horis, quibus legunt; tamen ex gratia esse illis concedendas, non modo pro illis horis, quibus legunt, puta, si mane legunt, pro matutinis horis, & missa solemni; sed etiam pro tota die, & ita seruari videmus in praxi.

De hac materia dicetur *in cap. cum ex eo. elect. in 6. & in clement. 7. hoc tit. de Magistris.*

IVDAEIS.

Cap. Iudæi, siue Sarraceni.

Statuitur hic, quod baptizati Iudæi bonis priuari nō debent. Et notandum est, quod idem, quod Paulus Tertius hic in margine ad fauorem ipsorum decreuerat, & cōfirmatum, & ampliatum fuit cum aliquot declarationibus a Paulo IV. & Pio V. in Constitutionibus suis, quarum meminit *Vgolinus de officio Episcopi par. 1. fol.* 202. Et de quarum dispositione tangitur inf. Extrauag. 2. eod. tit. inter commu.

Cap. Sicut Iudæi.

Inuiti non baptizentur Iudæi, vt in textu hic dicitur. Ad cuius dispositionis exemplum nunc Conuocandi sunt pro tertia saltem eorum parte statuto cuiusque hebdomadæ die in præstitutum aliquem locum, non tamen sacrum, ad audiendam Diuini Verbi prædicationem, iuxta Constit. Gregorij XIII. incip. *Sancta Mater Ecclesia, &c.*

In Vrbe autem, vbi hæc scribo, Iudæi audiunt verbum Dei in Oratorio Sanctissimæ Trinitatis.

Cap. Postulasti.

Puniendi sunt Iudæi temporaliter, qui clericum aliquem percutere ausi fuerint, habetur hic. Et flagitia Iudæorum

per

per Inquiſitores punienda referuntur in Conſtit. Gregor. XIII. incip. *Antiqua Iudæorum improbitas, &c.* puta, ſi delinquant in his, quæ circa fidem cum illis nobis ſunt communia; veluti, ſi aſſeruerint, Deum, vnum, & æternum, omnipotentem, creatorem omnium, & ſimilia, non eſſe; Si dæmones inuocauerint; ſi Chriſtianos, verbo, facto, vel exemplo nefaria huiuſmodi docuerint; vel ad ea perpetranda inducere attentauerint; Nutrices Chriſtianas contra Eccleſiaſticas ſanctiones retinuerint; aut eas retinentes, ea die, qua ſanctiſſimum Eucharistiæ Sacramentum ſumpſerint, lac vno, vel pluribus diebus, in latrinas effundere coegerint. Si blaſphemias, quæ per ſe hæreticæ dici ſolent, in Chriſtianæ fidei ignominiam, contemptum, aut corruptionem impie protulerint. Si cuiuſuis eorum opera, Chriſtianus aliquis a fide deſciuerit, vel in hæreſim inciderit. Si quem ex Iudæis, vel infidelibus ad fidem, Deo inſpirante, venire volentem; poſt declaratam nutu, verbo, facto, aut quocunque alio modo eius voluntatem, a fide retrahere, vel quouis modo impedire auſi fuerint. Si quem apoſtatam, vel hæreticum ſcienter domi ſuæ acceptauerint, vel fauorem quomodolibet præſtiterint. Si libros hæreticos, vel Thalmudicos, aut alias prohibitos retinuerint, vel diuulgauerint: Si Chriſtianos deriſerint, & maxime in ſacro Paraſceues die; & ſimilia perpetrauerint, vt ibi per eam.

HÆRETICIS.
Cap. Cum Christus.

HAereticus relapſus nouiſſime cenſetur, qui negat aliquem ex articulis expreſſe declaratis in Conſtitut. Clem. VIII. incip. *Dominici gregis, &c.* puta, ſi Deum Omnipotentem, non eſſe trinum in perſonis, & in compoſita omnino, indiuiſaq. vnitate ſubſtantiæ, Aut Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum non eſſe verum Deum; aut non eſſe conceptum de Spiritu Sancto in Sanctiſſimo Vtero B. M. ſemper Virginis; aut non ſubijſſe mortem Crucis acerbiſſimam, vt nos redimeret; aut eandem Sanctiſſimam Virginem non eſſe veram Dei Matrem; aut non fuiſſe ſemper Virginem ante partum, in partu, & poſt partum.

Cap. Ad abolendam, in principio, ibi, clerici ipsi Sede Vacante.

PRæcipitur hic, puniri hæreticos, quos tales esse iudicauerint Episcopi, & Sede Vacante, Clerici Ecclesiarum: ex quo patet, iurisdictionem, Sede Vacante pertinere ad Capitulum, a qua sane electus, seu constitutus Vicarius Capitularis potest expedire omnia Iurisdictionem cõcernentia, quæ Episcopo mortuo per bullam, vel breue fuerant delegata: sed si delegatio facta fuisset Vicario Episcopi, non posset Vicarius Capit. procedere, cum non sit Vicarius Episcopi; Sed Iurisdictionis Capitularis, ad tradita per Felin. in c. eam te, num. 17. rescrip. & in specie docet Garzia de Benef. par. 6. cap. 2. num. 46.

Ibi §. illos quoque, in fine.

REgulares quicunque exempti non possunt nunc in causis fidei iudicari ab eorum superioribus regularibus, quorum priuilegia, & facultates quæcunque in hac parte reuocatæ fuerunt a Paulo V. in sua Constit. *Romanus Pontifex; &c.* quam diligenter inspiciant Prælati ipsi Regulares.

Cap. Excommunicamus, §. damnati vero.

COntra Episcopos hodierno tẽpore etiã in causis fidei, nõ proceditur extra Curiam, nisi ex speciali commissione Summi Pontificis, iuxta decretum *Concilij Trid. sess. 84. cap. 5. de reform.*

Ibi §. Moneatur autem.

PRohibentur nunc Itali Catholici habitare, seu commorari extra Italiam occasione mercimonij absque licentia suorum nquisitorum, si in illis partibus non vigeret libertas Catholicæ Religionis, iuxta constit. Clem. VIII. incip. *Cum sicut, &c.* de qua scri-

scripsit Scortia in Cod. suo in Bullas Pontif. Epitome.
Et nouissime Gregorius XV. in Constitut. *Romanus Pontifex; &c.* vetuit sub grauissimis pœnis, hæreticos quoscunque etiam sub prætextu comertij, vel negotiationis habere domum apertam propriam, vel conductam in Italia, vel Insulis ei adiacentibus.

HIS, QVI FIL. OCCID.

Cap. Veniens ad nos.

Poenæ temporales, etiam vltimi supplitij, nec non & excommunicationis latæ sententiæ, nunc imminent procurantibus abortum, eisque quomodocunque cooperantibus, vt ex Constitut. Sixti V. incip. *Effrenatam; &c.* Quæ tamen postea moderata fuit quod ad fœtum tantum anima rationali formatum, reseruata eius absolutione Ordinario locorum, eiusque Vicario Generali ad hoc specialiter delegato, vt ex Constit. Gregorij XIV. *Sedes Apostolica pia Mater, &c.* de qua Scortia in Bullas Pontif. Epitome. 153.

Qui autem incurrant, vel non prædictas poenas in quibusdam casibus, late dixi in mea Summa, ver. Abortus, per totum.

HOMICID. VOLVNT. VEL CASVALI.

Cap. Si aliquis causa.

Homicida hic appellatur, qui facit, vel dat venena sterilitatis alicui. Nunc autem Propinantes eiusmodi venena Sterilitatis, eisque cooperantes, varijs pœnis afficiuntur, tam Spiritualibus, quam etiam temporalibus, de quibus supra in Const. Sixti V. contra abortum edita, vt sup. in tit. mox præcedenti.

TORNEAMENTIS.

Cap. Felicis memoria.

Vlnerato in torneamentis conceditur quidem pœnitentia: at si moritur, denegatur ei sepultura Ecclesiastica, vt hic in tex.

tex. Et modo ludi taurorum, & similes, exerceri soliti non nisi cum periculo vitæ, omnino prohibentur sub varijs pœnis spiritualibus per Pium V. in eius Const. *De salute gregis, &c.* quæ postea per Gregor. XIII. moderata fuit, non procedere in Hyspanijs, de qua vide Scortiam Epitome 99. Tandem per Clem. VIII. in Constitutione incip. *Nos considerantes, &c.* sublata fuit pœna excommunicationis, quæ continebatur in antedicta dispositione Pij V. non tamen quo ad omnes personas, sed quo ad laicos tantum, & in Regnis Hispaniarum, vt latius in eadem Const. Clem. VIII. quam vna cum altera prædicta Gregorij XIII. habes ad verbum in mea Summa, ver. Ludus, in fi.

CLER. PVGN. IN DVELLO.

Cap. Porrò si clericus.

Pœnæ per Concilium Triden. latę contra admittentes publicū duellum extensæ fuerunt per Greg. XIII. in sua Constit. *Ad tollendum, &c.* etiam ad ineuntes duella priuata, de qua Const. agit *Scortia in epit.* 155. & tandem Clem. VIII. Statuit, id locum habere etiam in quamplurimis alijs casibus, de quibus in eius Cōstit. *Illius vires, &c.* Qui Summus Pontifex postremo sibi, ac Sedi Apostol. reseruauit absolutionem censurarum contra pugnantes in duello in casu prædictæ dispositionis Conciliaris, & Gregorianæ, sublata quacunque facultate quibuscunque concessa, vt in decreto Sacræ Congreg. Episc. & Regul. *Editum fuit alias, &c.* per eundem Clem. VIII. approbato; de qua materia duellorum in terminis prædictæ reseruationis Apostolicæ nonnulla dixi in mea Summa, ver. Duellum.

SAGITTARIIS.

Cap. Artem illam.

Per hunc textum excommunicandus est exercens artem mortiferam ballistariorum contra Christianos. Nunc vero pœnæ temporales, nec non & spirituales, excommunicationis, videlicet, maioris, latæ sententiæ, imminent officialibus status Ecclesia-

stici

stici permittentibus, ferri pugiones, & arma breuioris mensuræ trium palmorum in locis, eorum Iurisdictioni subiectis, vt ex Constit. Pij V. *Cum vices eius, &c.* confirmatque Constitut. similem Pij IV. incip. Eisdem verbis, videlicet, *Cum vices, &c.* perquam prædicti Officiales prohibentur sub eadem pœna excommunicationis latæ sent. deferre archibusettos breuioris mensuræ, quam duorum palmorum, eosque deferendi licentiam tribuere.

FVRTIS.

Cap. Si quis propter.

FVribus Comparantur, eorumque pœnis temporalibus; ac insuper excommunicationis latæ sententiæ subduntur officiales Montium Pietatis Status Ecclesiastici, qui eorum pecunias in alios vsus, quam pauperum, conuertunt, vt ex Constitutione Pauli V. incip. *Onerosa Pastoralis, &c.*

DISCEPTATIO.

An amicus defuncti possit de eius bonis pro anima illius sine consensu heredis in pauperes elargiri.

HIc autem opportuna se offert dubitandi occasio, an bene se gesserit N. qui pro comperto habens, heredes B. amici sui ab intestato defuncti, nolle nec minimum quid erogare pro anima eiusdem defuncti, cuius satis opulenta bonorum successio, ad eos, quamuis propinquiori, remoto tamen consanguinitatis gradu coniunctos, inopinate deuenit, ipsemet sua propria auctoritate compatiendo necessitati animæ illius defuncti, nonnulla bona ad eiusmodi hæredes ex illa successione deuoluta, in pauperes clam hæredibus ipsis, pro anima defuncti elargitus est; existimans, obsequium se præstare Deo, vicem heredum erga defunctum Consanguineum, meliori modo, quo potuit, implendo.

Et primo quidem contra sic bona aliena distribuentem sua propria auctoritate facit, quod, non omnia bona sunt, quæ bono fine fiunt; cum bonum ex integra causa consurgat; & qui caret vna

vir-

virtute, dicitur carere omnibus, 24. *quaest.* 1. *cap. vbi sane*, *cum sim-mil.* propterea sicut non licet vsuram exercere ob finem faciendi eleemosinam, sic nec debuit iste falcem mittere in messem alienam, quamuis ob finem bonum.

Secundo, quia potius debebat Orator de bonis suis proprijs animæ defuncti subuenire, & non de alieno, quod ipsiusmet Dei prohibitio, & iuris communis dispositio minime patiuntur. 14. *q.* 5. *cap. eleemosina*, cum multis capitulis seqq. & præcedentibus 1. *quaest.* 1. *cap. non est putanda*, *& cap. transmissa*, *de decimis*; species enim iniusti lucri est ex alieno largiri, & benefitio sibi acquirere debitorem. Et bonus non esse conuincitur, qui malos tolerare non potest, *mor. gl. in cap. aduersitas* 45. *in verbo Abel.* 7. *q.* 1. ergo per patientiam tolerandi erant heredes, &, nō priuandi proprijs bonis; cum satis vere assertum sit, Ex corio alieno corrigiæ longæ, de cute nō propria scinditur absque bria, vulgari prouerbio.

Sed in contrarium facit, quod Deus mandauit vnicuique de proximo suo, & defunctus, qui alias bonæ vitæ, ac morum probitate, vt extra facti narrationem auditur, præditus erat; si de improuisa morte cogitasset, animę suę vtiliter consuluisset, & propterea pro facto haberi potest, quod ipse verisimiliter fecisset, si de propinqua morte vel cogitasset, vel admonitus fuisset, & sicut in uita consueuerat pecunias non paucas in pauperes elargiri pro temporis, & facultatum suarum opportunitate, sic moriens fecisset, si quocunque modo de propinqua morte præmonitus fuisset; ex consuetudine enim viuentis præsumitur voluntas eiusdem morientis, ad late tradita, *per Euerar. in sua Centuria in loco a Verimili, in principio.*

Ex qua forsitam ratione permoti Sapientissimi Senatores Veneti pijssime statuerunt, vt bona in inclyta Ciuitate sua ab intestato decedentium, nullo extante consanguineo successore legitimo, deuoluantur quidem ad officium, vulgo, *Cattaueri*, Sed illico tertiam fere partem ipsorum in pauperes elargiri tenetur pro salute, & remedio animarum eorundem defunctorum; prout sæpius laudabiliter in praxi vidi, seruatum fuisse.

Similis etiam fertur extare consuetudo in plerisque Diæcesibus

bus Regni Neapolitani, in quibus Episcopi disponunt ad pias causas pro his, qui ab intestato decedunt, etiam relictis heredibus, de moderata quantitate bonorum defuncti, alias non sepelitur. Quæ sane consuetudo maxima æquitate fulcitur, ad mentem *gl. in l. tale pactum, in fine, cum ibi deductis ff. de pactis*, & ideo tanquam rationabilis visa fuit Oratori imitatione digna; quod enim exemplo fit ratione carere non dicitur, & confirmari potest per *textum in §. idemque Iuris est Institut. quibus ex causis manum: non lic.* vbi expresse dicitur, verisimile non esse, eum, qui sibi heredem reliquit seruum, prætermissa datione libertatis, noluisse etiam libertatem ei relinquere, quia alias neminem sibi heredem habere potuisset. Hanc autem regulam de verisimili intentione disponentis procedere, & locum habere in omni materia, probat *Decius consf. 89. in principio*.

Non obstant cõtraria; quorum primum facile tollitur ex deductis pro Oratore, cui non fuit illicitum ad subueniendum animæ amici defuncti accipere partem aliquam de bonis eiusdem defuncti, quam vis eorum administratio ad heredes deuenisset, & sic non fuit abusus rei alienæ, sed cum cõsensu tacito proprij domini; liquet autem taciti, & expressi parem esse virtutem, & satis etiam expressum dicitur id, quod venit ex coniecturis, & præsumptionibus *ad tex. in l. licet Imperator de legatis. 1. & l. si quis locuples in fine, de manum. testam.*

Simile est, quod post *Raymun. Rodulph. & Siluestr. tenet Nauarrus comment. de eleem. sub num. 65.* videlicet, quod vxor potest contra voluntatem expressam mariti eleemosinare, vtiliter gerendo negotium viri; puta, quia videt eum crudelem, & sceleratum, & ad placandum Dei iram contra illum, eleemosinam tribuit; sufficit enim, quod eum non scandalizet. Tandem, hæc confirmantur ex illa generali regula, quòd facti causa potius attenditur, quam ipsum factum *24. q. 8. cap. occidit, & quæst. 3. cap. si Ecclesia, & 7. quæst. 1. cap. suas, cum similibus*, ergo pium hoc opus implendi debitam heredum obligationem erga defunctum damnari non potest.

Secundum etiam oppositum cessat; quia, quamuis potuisset etiam de bonis proprijs elargiri pro amico defuncto, non propterea

rea fuit illi illicitum erogare de bonis hereditarijs cum consensu tacito, & præsumpto, vt supra, & etiam vtcunque expresso ipsius defuncti. Nec vllum sibi præsumpsit, vel intẽdit acquirere debitorem ex alienis rebus, sed Dei præceptum; de faciendo erga proximum id, quod quisque sibi fieri vellet, humiliter implere. Neque per impatientiam id egit, non tolerando malos heredes, sed charitatem Dei, & proximi sectando, opus bonum operatus est.

Quæ omnia excusant Oratorem ab omni culpa; supposita tamen moderata quantitate elargitionis, simulque prouiso, ne bis forte heredes hanc bonorum distributionem demandarent, tanquam ignari prioris per Oratorem iam executæ.

Sed hæc dicta sint disputatiue potius, quam conclusiue; re vera enim ius heredum in vniuersis bonis defuncti a lege communi obueniens, tanquam clarum, & omni ambiguitate carens, prçualere debet iuri obscuro, & turbido; quod cuique ex fraterna dilectione competere posse videretur erga defunctorum, etiam valde coniunctorum, seu necessariorum, animas. Liquet autem id, quod nostrum est, sine facto nostro a nobis auferri non posse. *l. id, quod nostrum, de reg. iur. cum simil.*

Non obstat consuetudo illa Episcopatuum in regno Neapolitano, rationabilis quidem, & omni commendatione dignissima, quia dicimus, illam vti a iure communi prædicto exorbitantem, non esse trahendam in consequentiam ad partes alienas, in quibus ius commune inconcussum remanebit.

Neque etiam obstant rationes contra heredes adductæ; quia per se satis apparet, non necessario, sed tantum ex quadam honestate, seu congruenti interpretatione, posse procedere, sicut etiam dicimus, ab illiquido nõ admitti compensationem ad liquidum. *l. fin. C. de compensat. cum concordant. Saluo semper.*

V S V R I I S.

Cap. Nauiganti.

VSurarius est etiam, dicitur hic, assecurationis causa accipiẽs vltra sortem. Et nunc Socius assecurans capitale sui Consocij punitur tanquam Vsurarius, ex Constit. Sixti V. *Detestabilis,*

lis,&c. Non procedit autem hæc diſpoſitio in Societate habente alium admiſtum aſſecurationis contractum de Iure licitum,& omni ratione comprobatum,& ſatis in vſu frequentem, quem. *& Rota canonizauit deciſ.304.nu.7.par.2.tom.1. Farin. De hac Conſt. ſcribit,Scortia epit.142. & ego aliqua dixi in mea Summa,verb. Societas, in fine.*

CRIMINE FALSI.

Cap. Falſidicus teſtis.

SCribens litteras,vulgo,*d'Auiſi*,continentes conuitia,iniurias, & famæ, vel honos proximi ſui detrimentum, ſeu etiam ſpectantia, & tangentia regimen ſtatus Eccleſiaſtici, puniendus eſt pœna vltimi ſupplicij, ſeu triremium, vt ex conſtit. Gregorij XIII. incip. *Ea eſt rerum,&c.* quæ fuit edita poſt alteram Pij V. ei conſimilem,*Romani Pontificis,&c.*

Et tondentes monetas, etiam argenteas, eandem etiam pœnam incurrunt, vt ex Conſtit. Pij V. *Cum nil magis,&c.*

Hanc autem ampliauit Vrbanus VIII. vt dicetur infra in *Extrauag.vnica,eodem tit.de crim.falſi inter extrau.Ioann.22.*

Cap. Quam graui pœna.

LItteræ Apoſtolicæ aſſeruntur hic falſæ, in quibus Epiſcopus vocatur filius,vel inferior frater, vel vni ſcribitur in plurali. Quare non inepte annotandum eſt, quod fingentes ſe in litteris Apoſtolicis tales eſſe, quales non ſunt, puta, nepotes, vel etiam aliquando germanos Cardinalium; vel alios, qui ex perſonarum qualitatibus, & priuilegijs, vel antiqua conſuetudine,litteras ipſas gratis expedire ſolent, excommunicationem, reſeruatam, incurrunt, & litteræ ipſæ omni effectu priuātur : vt ex Conſtitut. Innocentij VIII. *Cum ſicut nobis,&c.*

EXCESSIBVS PRAELATORVM.

Cap. Nimis iniqua, §. volunt namque, ibi, in eorum Oratorijs.

QVamuis Ordinarius de Iure non possit visitare Ecclesias Regul. exemptorum; id tamen ei conceditur circa Confraternitates laicorum in eorum Ecclesijs Erectas.

De auctoritate autem Ordinarij circa personas exemptas, & ipsorum loca, vide *Quarantam, ver. Exemptio, Genuensem in cap. 59. Paris. de resign. lib. 3. quaest. 11. Vgolin. de potest. Episcop. par. 1. cap. 20. §. 7. &c.*

Et Concilium quidem Trid. sess. 24. cap. 10. de reform. statuit, nullam appellationem subditorum posse suspendere executionem visitationis. *Et ead. sess. cap. 9.* decreuit, Ecclesias seculares nullius Dioecesis esse visitandas ab Episcopo proximiori, vel alio, iuxta formam ibi praescriptam.

SORTILEGIIS.

Cap. In tabulis.

INquisitores haereticae prauitatis possunt nunc procedere in plerisque casibus diuinationis, & superstitionis, in quibus antea non procedebant, vt patet ex auctoritate nuper eis attributa. *Ex Const. Sixti V. incip. Caeli, & Terrae, &c.* Et nuperrime Vrbanus VIII. per suam Constitut. incip. *Inscrutabilis iudiciorum*: Et inf. publicatam die decima Aprilis 1631. post cōfirmatam praedictam Constitutionem Sixtinam contra Astrologos editam, prohibet omnibus tam laicis cuiuscunque dignitatis, etiam Ducalis, quam Ecclesiasticis quibuscunque, etiam speciali nota dignis, & suprema dignitate fulgentibus, de statu Reipublicae Christianae, vel Sedis Apostolicae, siue de vita, aut morte Romani Pontif. pro tempore existentis, eiusque consanguineorum vsque ad tertium gradum inclusiue, iudicia, seu praedictiones facere.

Quos omnes, nec non eos, qui illos desuper consuluerint, vel

prognostica, & praecognitiones eiusmodi, etiam sibi oblatas receperint; illisue quomodolibet vsi fuerint, retinuerint, vel alicui ostenderint, afficit poena excommunicationis latae sent. confiscationis omnium bonorum, & officiorum, atque etiam vltimi supplicij.

CLER. NON ORDIN. MINISTR.

Cap. Si quis baptizauerit.

QVicunque non promotus ad sacrum presbyteratus ordinem temere ausus fuerit rem sacram facere, vel Confessionem Sacramentalem audire, tradi debet Curiae seculari debitis poenis, per ipsam afficiendus, ex Constit. Clement. VIII. incip. *Etsi alias, &c.* per quam & aliae anteriores de eadem re innouantur, de qua nonnulla scribit *Scortia Epit. 162.*

Nouissime vero Vrb. VIII. de anno 1628. per suam Constitut. incip. *Apostolatus officium, &c.* declarauit, eam non habere locum quo ad suas poenas in reis minoribus viginti annorum completorum.

CLER. EXCOM. MINISTR.

Cap. Si quis Episcopus.

OCcasione textualis huius decisionis dubitatum fuit, an Episcopus ordinans sacris clericum ante aetatem debitam, & celebrans antequam absoluatur a poena suspensionis a collatione Ordinum, quam ob illam Ordinationem malam incurrit ex cap. vel non est compos, de temp. ordin. efficiatur irregularis.

At huic sane dubitationi sufficienter satisfactum fuit superius in cap. anted. vel non est compos, de temporibus ordinat.

PRIVIL.

Cap. Episcopalia Gubernacula.

PRiuilegia quaecunque viuae vocis oraculo quibuscunque concessa, nuper sub quadam tamen restrictione reuocata fuerunt

runt per Constitut.Greg.XV.de qua dicitur *sup.distinct.160.cap. contra morem, vbi late de huiusmodi diuersis priuilegiorum reuocationibus annotatur.*

Cap. Cum capella.

PEr honorarios titulos, seu priuilegia pro particularibus personis a Sede Apostolica quomodolibet emanantia, non censetur derogatum iuri Episcoporum, quominus eisdem subiectæ sint; exceptis tamen regijs Capellanis, in quibus seruabitur hæc præsens dispositio, de qua specialiter meminit *Concil.Triden.sess. 24.cap. 11. de reform.* exceptis etiam nonnullis alijs, ibidem expressis.

POENIT. ET REMISS.

Cap. Cum infirmitas.

DIcitur hic, quod cum infirmitas corporalis, iuxta Euágelium nonnunquam ex peccato proueniat: idcirco medici debent ante omnia inducere infirmum ad confessionem.

Et nunc medici gradum doctoratus assumentes, tenentur iurare, se seruaturos fore Constitutionem Pij V. *Supra Gregem, &c.* per quem eis interdicitur tertia vice illos ægrotos inuisere, qui in eadem infirmitate peccata sua non fuerint confessi; Quod tamen non æque ab omnibus vsu receptum esse, attestantur recentiores plerique, maxime *Sanch.in decal.lib.3.cap.16.in fine.*

Et de Medicis hæbreis, vel infidelibus ad nostros infirmos non vocundis, notatur, *sup. cap.1.cler.ægrot.* De hac Constitut. vide *Scortiam in Epitome* 88.

Cap. Omnis vtriusq. sexus.

APte hic admonuisse velim, quid S. Carolus de more prudenter consulat suis suffraganeis pro Confessarijs extraordinarijs sanctimonialibus, iuxta *Conc. Trid: 615.* bis, aut ter in anno vtiliter exhibendis; Inquit enim in Concilio primo parte 3.

Cu-

Curent Episcopi, vt vniuersæ moniales confiteantur Confessori extraordinario, vt quæ huiusmodi indigent medicina propter aliquem occultum animi morbum, neque ipsę eam postulare, aut accipere ab vsitato confessore auderent, liberius mederi malis suis possint.

DISCEPTATIO.

Quomodo se gerere debeat Confessarius cum pœnitente grauibus culpis onusto ad illum accedente animo communicandi postridie magni alicuius festi.

VErtitur frequens inter Confessarios dubitatio, quomodò se gerere debeant cum pœnitente, qui pridie alicuius magni festi, in quo omnes de familia sui Domini communicare consueuerunt, accedit ad Confessarium onustus maximis, ac enormibus delictis, quæ vsque ad eundem fere diem frequenter se perpetrasse confitetur, & nisi communicet, nullam iusti impedimenti excusationem prætendere valens, manifestam honoris iacturam incurret; & e contra, Confessarius valde ambigit, an illum tunc absoluere possit, cum probabiliter existimet, illum facile, ac illico, peracta communione, in eadem delicta relapsurum esse; etiam si firmiter proponat, ac spondeat, se nolle amplius peccare, sed & adhuc ipse dubitet, se non diu sine peccatis eisdem vitam transigere posse, non mutando statum.

Pro sufficienti, ac digna huius dubitationis resolutione magna opus est ante omnia diuina Spiritus sancti illuminatione, ac eius speciali gratia ad recte consulendum proximo, salutique propriæ prospiciendum in hac, & simili tam ambigua, perplexaque materia; Postea prudens, ac pius Confessarius diligenter percurrat Auctores de consuetudine peccati differentes, quos generaliter, & absolute loquentes inueniet concorditer docere, post primam, & secundam promissionem emendationis non secutę, differendam esse absolutionem, non remota occasione proxima peccati, vel ratione status peccati, etiam præteriti, vt in consueto blasphemare, vel periurare; vel peccatis lubricis carnis irretito; vel in obligato

restituere, & sæpius promittente restitutionem, at sine iusta causa eam protelante, & similibus.

Studeat igitur Confessarius his præcipue auctoribus, nempe, libello inscripto lingua materna, *Auuertenze del Signor Cardinale Arciuescouo di Milano, pag. 36. 37. & 39. Tolet. in Sum. lib. 3. cap. 18. num. 6. & 7. Sanch. in decal. lib. 2. cap. 32. num. 45. cum seqq. & lib. 3. cap. 5. num. 18. cum vtrobique relatis: Azor. lib. 10. cap. 3. quæst. 4. Suar. tom. 4. disp. 31. sect. 1. in fine, & disp. 2. sect. 4. num. 4. num. 15. Lopez instruct. Consc. cap. 34. ad fi. Nau. in man. cap. 3. num. 15. Polanc. in directorio, cap. 3. art. 3. Graff. decis. aur. lib. 1. dec. 29. & si lubet, videas etiam in mea Summa, ver. Peccatum, n. 19.*

Ex quorum doctrina primo colligi potest, peccatorem consuetudinariũ non esse statim absoluendum, donec veræ pœnitentiæ signa præbeat, & si peccata essent publica, neque statim admittendum ad sanctissimam Communionem. Quod si periculum adesset non amplius confitendi, prout, exempli gratia, contingere posset, si Confessarius Extraordinarius accedens ad moniales audiendas, inueniret ibi monialem ex inueterata consuetudine dimidiasse confessiones præteritas ob verecundiã proprij confessarij, in tali casu haberetur pro sufficienti causa periculum perseuerandi in dimidiatione confessionis, & propterea Iure merito tunc tẽporis absoluenda esset, non expectata anterioris prauæ consuetudinis emendatione.

Secundo colligitur, vt & supra tangitur, valde inter se differre, credendum esse pœnitenti pro, & contra se; & credere ipse asserenti, se non posse dimittere talem vitæ consuetudinem, quæ sit eidem occasio peccati; quia prudenter dijudicare debet Confessarius, an sufficienter concludant rationes pœnitentis pro se adductæ, quia, vt plurimum, excusat excusationes in peccatis; in his ergo, quæ facti sunt, nempe, quod tres, vel quatuor filios alendos domi retineat, credẽdum est ei; sed qui sumptus eius statui, ac conditioni conueniant, mature respondeat prudens, ac cautus Confessarius, & sic de cæteris.

Tertio, & vltimo colligi potest responsio ad pũctum propositæ quæstionis, dicendo, quod concurrentibus quattuor illis requisitis per *Nau. vbi supra, cap. 3. num.* 21. posset absolui pœnitens, etiam

tertia,

tertia, & quarta vice recidens, iuxta illud, non septies tantum, sed septuagies septies, &c. sed si vicibus prædictis nulla emendatio, neque inchoatio eius extitisset; & ex concurrentibus circumstantijs facti nulla speraretur correctio, nisi relicta occasione recidiui, vel mutato statu priori, non absoluerem ego, ait *idem Nau. vbi sup.* Et hæc quo ad occasionem propinquam recidiui.

Extra occasionem autem eiusmodi propinquam, loquendo in solo vsu, & consuetudine peccandi inueterata, nõ absoluerem, non præcedẽtibus signis veræ pœnitentiæ, & emendationis vitæ; quia Sacramentum pœnitentiæ esset eiusmodi peccatori non remediũ, & salus, sed mors, & perditio, & vna cum Cõfessario absorberetur ad tartara.

Nec quis objiciat, secus seruari in excommunicato, qui confitetur Sacerdoti inferiori, & indiget absolutione ad communicandum, ne famæ, ac honoris detrimentum incurrat, ergo & idem in hoc videretur esse dicendum; quia respondetur, impartiri quidem posse absolutionem eiusmodi excommunicato, iuxta per nos tradita *in Summa, ver. Absolutio a censu. num.* 4. quia tribuitur ad re incidentiam, & sic, cessante impedimento pœnitentem excusante, remanet adhuc obligatio comparendi coram superiore, vt eius mandatis obtemperet. At in absolutione Sacramentali a peccatis impensa, non concurrit hæc obligatio: sine pœnitentia enim sunt Dona Dei, ad Rom. xij. cum ergo longe diuersa sit ratio inter casum vnum, & alterum propterea etiam diuersa Iuris dispositio est attendenda, & sibi imputet pœnitens, qui se in talem iniecit necessitatem. Et in hac difficili materia magis se semper, ac magis Deo precibus commendet pius, ac prudens Confessarius. *Saluo semper saniori consil.*

DISCEPTATIO.

Vulnerans aliquem letaliter, nondum secuta morte possit ne absolui a non habente facultatem absoluendi ab homicidio, quod ibi est reseruatum.

HIc etiam se se offert dubitatio de vulnerante ad mortem inimicum suum, statimque accedente ad confessarium

ſimplicem, non habentem facultatem abſoluendi ab homicidio, quod erat reſeruatum in illa diœceſi, an, ſcilicet, nondum ſecuta, quamuis de proximo imminēte morte eiuſmodi vulnerati, potuerit abſolui in foro conſcientiæ ab antedicto confeſſario.

Et prima quidem facie videbatur dicendum negatiue: primo, quia pendentia idem operatur, quod ſententia, *l. reum. C. de procurator. l. diximus, de excuſat. tut. l. fundi, & l. fundum, de except. & l. qui de libertate, de liberali cauſa, cum ſimil.* Ergo ſicut ſi iam ſubſecuta eſſet actu ipſa mors, non potuiſſet pœnitens abſolui per illum Sacerdotem inferiorem, neque ergo pendente, ſeu imminente morte, quod idem operari debet.

Secundo, dum aliquid pendet, & poteſt ſe habere vt ad prohibitum, & vt ad permiſſum, ſemper ſtat vt ad prohibitum. *l. 1. §. ſi pendeat, ad macedon. & l. nec nos. C. de capt. & poſt lim. reuerſ.* ergo dum pendet hoc periculum vitæ cenſendum erit, vt homicidium.

Tertio, & vltimo, quod eſt in fieri habetur per facto. *l. ligni. §. ego aũt. & l. cum vxori, de legat. 3.* Et quod de proximo futurũ eſt, vel, quod parum diſtat, nihil diſtare videtur; Ergo cum mors de proximo ſubſecutura exiſtimetur, habenda erit pro ſecuta, & ſic pœnitens tanquam homicida cenſebitur eſſe abſoluendus.

Per hæc & ſimilia iam alias reſpondi pro prædicta parte negatiua, pro qua etiam faciunt quæ dixi in mea Summa, *verſ. Actus, num. 29.*

Quod ſi quis contrariam forte tueri vellet, quam non puto improbabilem eſſe, conſultius ageret, ſi conſuleret pœnitenti, vt morte vulnerati ſubſecutã iterum confiteretur Sacerdoti habenti facultatem abſoluendi ab homicidio, cum in Sacramentis pars tutior ſequenda ſit. Saluo, &c.

SENT. EXCOMMVNIC.

Cap. A nobis fuit.

Sententia Excommunicationis ſub hac forma, Excommunicatus ſit quicunque furtum fecerit, non ligat niſi ſubditos proferentis eam. Et hic nota, quod forma Excõmunicationis pro recu-

recuperandis bonis deperditis, vel subtractis, præscribitur in Constitut. Pij V. incip. *Sanctissimus in Christo Pater, &c.* videlicet, vt non concedatur nisi ad effectum agendi ciuiliter, & res ipsæ subtractæ, vel deperditæ nominatim, & specifice exprimantur, vel saltem eorum designatio non sit nimis vaga, & incerta; Et tandem res ipsæ non sint vulgares.

Et de praxi huius Constitutionis late agit *Genuensis in praxi capite 1. & 2.*

DISCEPTATIO.

De absolutione cum onere competenter satisfaciendi iudici, & parti, alias, &c. Et de duobus clericis se inuicem occulte percutientibus.

NOn inepte hunc locum occupat dubitatio de Presbytero per suum Ordinarium declarato excommunicato ob percussionem clerici, qui propterea veritus eiusdem Superioris expertam duritiam adiuit Apostolicam Sedem, cuius etiam absolutionem retulit, cum obligatione satisfaciendi competenter parti; & iudici, alias reincideret ipso facto in eandem censuram; Iudex autem iussit, eum detineri in propria Domo loco carceris quoad sibi bene visum fuerit, & parti iam satisfactum fuerat illico post illatam percussionem; Interim vero dum ipse presbyter diutius in domo detentus, sæpe, ac sæpius rogari fecisset suum Ordinarium, vt ei iustitiam debitam administrare dignaretur; nec vnquam aliquem fructum reportaret, tandem post dies 45. in domo propria, vt supra, loco carceris exactos, iterum Romam petijt, cuius itineris areptio vim habet appellationis, cap. dilectis il 2. de appellat. & in eo itinere sæpius celebrauit, Romamque perueniens audiuit, Episcopum declarasse, illum in excommunicationem pristinam reincidisse, vt qui perfecte non impleuerit iniūctam sibi satisfactionem. Queritur ergo, an Orator reinciderit, vt supra, & casu, quod sic, an irregularitatem etiam contraxerit celebrando bona fide in itinere constitutus.

Ad primam dubitationem dicitur, punctum difficultatis in hoc

consistere, an Orator defecerit in mandato sibi iniuncto, nempe, satisfaciendi iudici, an non; Et re vera non videtur defecisse; attenta enim pace statim habita a parte læsa; attenta etiam qualitate offensionis, quæ solis manibus sine armis absque tumore, & sanguinis effusione, atque ex subito iracundiæ calore facta fuit, competenter iustitiæ satisfecisse videtur, cum post laborem, & expensas itineris ad Vrbem, domi propriæ, loco carceris cum magno rerum domesticarum dispendio per quadragintasex dies continuos cum omni humilitate, atque superioris honore, & obedientia se ipsum cõtinuerit, nec amplius ibi detineri potuisset absque graui incommodo, ac bonorum suorum præiuditio; liquet autem, illud dici fieri non posse, quod commode fieri non potest. *l. nepos Proculo, ff. de verb: signif. cap. faciat* 22. *quæst.* 2. Et absoluens debet facere mandata iusta, & rationabilia, alias posset appellari, *cap. fin. de pac. & cap. vt debitus, de appellat.*

Nec obstat, rixam & percussionem factam fuisse in Ecclesia, & coram quatuor, vel sex viris Clericis; quia dicitur, solam hanc circunstantiam Ecclesiæ, vel loci publici, non sufficere ad efficiendam grauem, vel mediocrem percussionem, nisi etiam concurrat scandalum, quod in casu abesse supponitur. Expresse docet *Genuens. in praxi, cap.* 98. *fol. mihi* 523. *num.* 3. vbi sufficienter id probat.

Quo ad secundam autem dubitationem patet responsio ex supradictis. Si enim per tam diuturnam dierum 46. detentionem in domo propria ob percussionem leuem ex subito calore iracundiæ inflictam, competenter Iudici satisfactum fuisse, sapiens quisque arbitrabitur; profecto non erit locus reincidentiæ pristinæ excommunicationis, & per consequens, Orator, bona fide, & absque malitia, & temeritate celebrans, non poterit de irregularitate damnari; ad tradita communiter per DD. in hac materia Censurarum, *& tex. cum ibi nota: in cap. venerabilis, §. sane, hoc tit. in 6. Auil. de censur. parte* 2. *cap.* 7. *disp.* 3. *dub.* 10. *vers. primus quando. Et ego tetigi in mea Summa, ver. Irregularitas, num.* 25. *ad fin.* & hæc saltem in foro conscientiæ, in quo veritas spectatur. Saluo semper.

Insuper olim accidit, duos Clericos insimul exeuntes de quadam

dam Domo arma in manibus gestantes, & vulneratos; alterumque vicissim conquerentem de altero, quod se voluisset interimere, & propterea obtestantẽ, ad defensionem propriam percussisse alterũ, excõmunicatos, notoriosq. percussores ab omnibus reputatos fuisse, proptereaq. dubitatum fuisse, quid Iuris dicendũ sit.

Et breuiter agendo, videtur asserendum, vtrumque illorum censeri debere excommunicatum, tanquam notorium percussorem, qui nulla possit tergiuersatione celari; sicque ab omnibus in foro exteriori tanquam excõmunicatos esse vitandos; quicquid sit coram Deo, & in foro Conscientiæ.

Probatur prima pars; quia nulla maior probatio est, quam partis confessio; sed vterque ipsorum publice confitetur inuicem percussisse socium, ergo vterque erit habendus pro excommunicato; cum ea, quæ genere, & natura sua mala sunt, qualis est percussio, & offensa corporalis; præsumantur facta malo animo; sicut e contra, omne beneficium præsumitur rite factum, *cap. 1. cum ibi not. in fi. de presumpt. l. 1. C. ad l. Corn. de siccar. & l. si non conuinctus. C. de iniur.*

Secunda pars per se satis manifesta est; quia coram Deo potuit alter ipsorum vere ad defensionem necessariam alterum percussisse, & sic euadere pœnam excommunicationis, quod solius Dei iudicio relinquendum erit. Quare, &c.

LIBER SEXTVS.

DE SVMMA TRINITATE.

Cap. Fideli, ac deuota.

NOVISSIME Clemens VIII. per suam Constitut. incip. *Dominici gregis, &c.* damnat pro relapsis, & subuersis negantes vnum ex articulis fidei in eadem Constit. specialiter expressis, de quibus dictum est supra *cap. 7. de haret. in antiq.*

De Christianis autem græcis quid statuerint Romani Pontifices Innocen. IV. Greg. XIII. & Clem. VIII. post Concil. Florentinum sub Eugen. IV. dixi in mea Summa, Verb. Christianus, 1. Vbi quid nunc circa illorum ritus Ecclesiasticos tolerari liceat, vel non, abunde traditur.

RESCRIPT.

Cap. Statutum, in princip.

ET vltra remissa hic in margine *ad cap. 10. de reform. sess. 25. Concil. Trid.* adde, etiam esse videndum *cap. 2. de reform. sess. 13.* vbi statuitur, causas apostolica auctoritate non esse committendas iudicibus inferioribus.

Ibidem, §. Notarium vero.

DEcernitur hic, Delegatum taxare salarium notariorum, qui vt plurimum metas rationis excedunt in exigendo salario. Eiusmodi autem Notarij cogi possent per Episcopum, vt vel in eius Cancellaria registrent acta ad sui Episcopatus Ecclesias pertinentia; vel exhibeant copiam authenticam Instrumentorum, quę ipsi conscripserunt de Iuribus earundem Ecclesiarum, quod consulti peritissimi Patres comprobarunt.

CON-

CONSVETVDINE.

Cap. Cum in tua.

DE Materia optionum, de qua in hoc textu multa disponuntur, vide apud *P. Monetam in suo tract. de Optione*, vbi late quomodo inducatur consuetudo optandi; quæ præbendæ non possint optari; quando incipiat currere tempus optandi, & similes in praxi expenduntur vtiles quæstiones. De re eadem etiam agit *Gonzal. in octauam regul. Cancell. gl. 34. a num. 1. vsque ad* 100. *itemque Bellam. Conclus. 1. de Consuet. optandi.*

ELECTIONE.

Cap. Vbi periculose: §. Hoc sacro.

STatuitur in hoc sacro Concilio quomodo fieri debeat electio Romani Pontificis, mortuo prædecessore in Ciuitate, in qua cum sua curia residebat.

Nuper autem edita fuit Constitutio Greg. XV. *Aeterni Patris Filius, &c.* quæ multa præscribit circa electionem Romani Pontificis, vt ibi per eam, de qua dictum est supra *dist.* 79. §. 1. Vbi & de eiusdem Constitutionis confirmatione per Vrbanum Octauum facta.

Ibi §. Cæterum, cum arbitrium.

PAulus IV. per suam Constitut. *Cum secundum Apostolum, &c.* infligit grauissimas pœnas tam spirituales, quam etiam temporales ambientibus Papatum ante Sedem Vacantem; eorumque mediatoribus, vt ibi per eam vt & *sup. dist.* 79. *cap. si quis:* quam & recensui in mea Summa in ver. Papa, nu. 13. cum aliquot notabilibus in praxi vtilibus ex ipsa collectis.

Cap. Cum ex eo.

DIspensant Episcopi ad Septennium cum Parochis causa studio-

diorum, vt dicitur in tex. Et hic not. quod extat Constitutio Pij IV.incip. *In suprema militantis Ecclesia, &c.* contra quoscunque beneficiatos, & Prælatos non residentes, de quibus etiam dictum est supra *cap. 1. cler. non resid. in antiq.*

Cap. Indemnitatibus.

MVlta hic decernũtur circa electionem, inter moniales celebrandam. Nunc autem sciendum est, quod Electio Abbatissæ, seu cuiuscunque Superiorissæ Sanctimonialium per Italiam non durat nunc, nisi ad triennium, ex const. Greg. XIII. *Exposcit, &c.* Ex qua tamen dispositione non infertur, per eam interdici, electionem antedictam fieri posse ad annum tantum; sed sic, ne excedat triennij tempus, quod est quid diuersum ab illo.

Tempore autem electionis celebrandæ si quæ Sanctimoniales in lectulis ægrotarent, non possent vota sua transmittere ad superiorem; hoc enim esset publicare eadem vota, quod omnino prohibetur *in Concil. Trid. sess. 25. cap. 6. de regular. & monial.* sed potius ipsi præfecti ad exquirenda singularum vota, deberent ad illas accedere, & vota ab eis accipere, & in hoc concordat Constitutio Greg. XV. de elect. Romani Pontificis, vbi agitur de materia mittendi scrutatores ad ægrotos Cardinales in lectulis, ibi, decumbentes; Et est similis doctrina *Hostiensis, Innocentij, & aliorum in cap. quia propter, eod. in antiq.* In hoc tamen consuetudo monasteriorum esset attendenda, & de præd. Constitut. Gregor. XIII. vide, quæ scribit Scortia Epit. 134.

RENVNTIAT.

Cap. Quoniam aliqui.

REsignationes, atque permutationes beneficiorum publicandæ sunt, iuxta Const. Greg. XIII. incipit. *Humano vix iuditio, &c.* alias Beneficia ipso Iure vacant; nulla, nec annali, nec triennali possessione in hoc suffragante.

De qua Constitut. agit idem Scortia epit. 135. Et eiusmodi resignationes factæ ab ordine Sacro initiatis, vel religionem ingressuris,

suris admitti non possunt ab Ordinarijs locorum nisi ijdem resignantes statim profiteatur, vel aliunde habeant vnde commode sustentari valeant, prout statuitur in Constitut. Pij V. *Quanta Ecclesia Dei &c.* De qua materia late *Garz. de benef. par. 2. cap. 5. num. 195. & par. 11. cap. 3. §. 3. num. 267.* & ad permutationes requiri, & sufficere expedientiam, & vtilitatem Ecclesiarum, vide *in Decis. Neap. Riccij. 37. parte 1. Bellam. decis. 94. Rot. in antiq. decis. 8. de procuratoribus, & Scortiam in Epit. 101.*

SVPPLEN. PRÆL. NEGLIG.

Cap. Ecclesiæ Cathedrali, in fine, ibi, huiusmodi quoq.

ECclesiæ Cathedrali vacanti, per Papam solum deputatur visitator. vt hic in textu dicitur. Sed sciendum est, quod multa nunc statuta sunt per *Concil. Trid. sess. 24. cap. 16. de reform.* circa deputationem Vicarij, & œconomi ad Capitulum spectantem; quæve in praxi seruanda sint, Ecclesia Cathedrali vacante, vbi vide.

TEMPOR. ORDINAT. ET QVALIT. ORDIN.

Cap. Sæpe contingit.

EPiscopus Italiæ non ordinet Vltramontanum sine speciali licentia Romani Pontificis, vt statuitur in hoc textu.

Et hic præter notata superius *cap. si qui a simoniacis. 1. q. 1.* addimus nunc, quod Constitutio Sixti V. incip. *Sanctum, & salutare, &c.* lata contra male ordinatos, & ordinantes, redacta fuit ad terminos Iuris communis per Clem. VIII. in Constitut. incip. *Romanum Pontificem, &c.* præterquam in casu ordinationis simoniacæ, in quo voluit, eam in suo pristino robore permanere. Et nouissime Vrbanus VIII. in Constit. sua, *Secretis æternæ prouidentiæ, &c.* vetuit, Vltramontanos ordinari ab Episcopis Italicis absque dimissorijs suorum Ordinariorum subscriptis a Nuntijs Apostolicis, in partibus constitutis.

Et de prædicta Constitut. Sixtina *scribit Scort. epit. 147.* Cum olim autem esset orta dubitatio, an clerici ordinari possint sacris Ordi-

Ordinibus ad titulum massæ communis in Collegiatis, responsum fuit a peritissimis viris affirmatiue, ita tamen, vt remanentes addicti seruitio illius Ecclesiæ percipiant fructus ad suam sustentationem necessarios, donec ad Sacerdotium promoueantur; tunc temporis postea admittendi ad participationem redditum eiusdem massæ communis.

Simile est quod notaui in mea Summa, ver. Ordo, num. 29. vbi Clerici Veneti ex indulto Sixt. V. ad verbum ibi relato, ordinari possunt ad titulum seruitij alicuius Ecclesiæ, cui inseruire tenentur ex ordine sic suscepto; nullo vnquam tempore inde amouendi, nisi de competenti beneficio, vel pensione Ecclesiastica prouisi; vel nisi sic eorum exigentibus demeritis, vt ibi latius.

FILIIS PRESBYT.

Cap. Is, qui.

Cum hic in textu, filij presbyterorum, & alij illegitimi prohibeantur ad ordines promoueri absque dispensatione, id circo si pater vellet relinquere filio, etiam intuitu huiusmodi pij operis, nempe, ascendendi ad ordines, considerandum est, quod filijs presbyterorum, & alijs illegitimis aliquid relinqui non potest ex Constitutione Pij V. *Quæ ordinis, &c.* Vbi habetur etiam reuocatio facultatum testandi, & quouis alio modo disponendi de acquisitis ex bonis Ecclesiasticis; ac de alijs rebus, etiam proprio labore partis, aut patrimonialibus ad commodum illegitimorum, etiam legitimatorum; non tamen hospitalibus expositorum, & orphanorum.

Et similiter per eandem Constitut. abrogantur habilitationes eorundem illegitimorum succedendi in dictis bonis, aut rebus feudalibus, & emphyteuticis, a pijs locis profectis.

Hæc eadem Constitutio declarata fuit per eundem Pium V. per alteram extrauagantem incip. *Ad Romanum Pontificim, &c.* vt procedat, & intelligatur de quibuscunque bonis patrimonialibus, tam mobilibus, quam immobilibus, iuribus, & actionibus quibuscunque. Et de vtraque istarum Constitutionum dixi in mea Summa, *ver. Filius, in fine.*

Præ-

Prædicta autem prima Constitutio examinatur per suas partes per *Dominos de Rota, vt in decis.* 1357. *Seraph.*

OFFIC. VICARII.

Cap. Cum in generali.

PORtio certa assignanda Vicarij perpetuis, de quibus hic in textu, quanta esse debeat, aperte nunc constat ex Constitut. Pij V. incip. *Ad exequendum, &c.* Vbi portio Vicarijs perpetuis ex fructibus beneficij, cui inseruiunt, assignari non debet maior centum, nec minor quinquaginta ducatis.

Et sciendum est, quod nuper Vrbanus Octauus in Constitut. incip. *Sanctissimus Pater noster, qui pridem, &c.* reuocat reseruationes pensionum perpetuarum super beneficijs Ecclesiasticis ad Collegiorum, & piorum locorum fauorem factas; & indulta imponendi pensiones etiam temporales quibusuis concessa.

OFFIC. ET POTEST. IVD. DELEG.

Cap. Statuimus.

QVia Summus Pontifex consueuit dare Conseruatores ijs, quos in sua tutela, & custodia recipit, prout hic dicitur in littera, propterea notandum est; Quod de Conseruatoribus regularium late scribit Confectius, & alij, qui collegerunt priuilegia regularium. Nouissime vero Clemens Octauus, & Gregorius XV. tradiderunt modum eligendi Conseruatores eorundem regularium cum eorum facultatibus, & priuilegijs, vt est videre apud *Massobriū in suo tract. de Synodo diœcesana, fol. mihi* 31. vbi ad verbum refertur Constitutio antedicti Gregorij XV. de forma, & auctoritate Conseruatorum eiusmodi; cuius initium est, Sanctissimus D. N. ex certis rationabilibus, &c.

OFFIC. LEGATI.

Cap. Officij nostri.

OCcasione huius dispositionis de facultate legatis Cardinalibus

bus ampliori, quam non Cardinalibus concessa.

Notandum est, Interdictum esse legatis Apostolicis sub maioris excommunicationis, alijsque ipso iure incurrendis pœnis mendicare a Principibus, ad quos mittuntur, litteras, aut fauores ad dignitates, & officia Ecclesiastica obtinenda, vt ex Constitut. Pij IV. *Etsi Romanus Pontifex*, *&c.* De qua in *mea Summa, ver. Legatus, & Scortia in Epit.* 87.

Nunc opportuna hic sese offert dubitatio de Ambasciatore Principis, qui voluntarie, & studiose distulit expeditionem ambasciatæ, vt maiorem vtilitatem a suo Domino consequeretur, an teneatur excessum stipendij necessarij restituere. Et breuiter agendo, respondendũ est affirmatiue, per tex. ad hoc satis expressum *in l. sed & qui data, ff. ex quib. cau. maio.* vbi habetur, eum, qui maturius, quam expediret, in legatione fuit, non gaudere priuilegio absentiæ ex causa reipublicæ. Et idem est, vt ibi etiam subditur, si absentiam suam a patria affectauit, puta, vltro se Reipublicæ offerendo, ad euitandam forte litem, quam contra se, si domi permanebat, excitari timebat, diceretur malitiose abesse, & parti aduersæ, cuius iustam in iudicio vexationem formidauit, tenebitur ad omne damnum, & interesse, quod illa passa est ob eius affectatam Reipublicæ causa legationem. Fraus enim, & dolus nemini patrocinari debent, iur. vulgat.

Quare ad damna, & interesse parti læsæ tenetur in conscientia, & coram Deo. Saluo semper, &c.

VT LITE PEND.

Cap. Dispendijs.

QVamuis regulariter, lite pẽdente, nihil innouãdũ esse, disponatur in hoc textu, & in antiq. tamen sciendum est, quod fructus beneficiorum pendentes, & nondum exacti in regno Neapolit. spectant ad Cameram Apostolicam vsque ad diem captæ possessionis per successorem, vt ex Constitut. Six. V. incip. *Cum sicut accepimus, &c.*

Et generaliter de huiusmodi fructibus beneficiorum inexactis statuerat iam Iulius Tertius in Constitu. incip. *Cum sicut nobis nu-*

per, &c. eos deberi præfatæ Cameræ Apostolicæ: quod sane statutum nuper confirmatum fuit ab Vrbano Octauo, vt dictum est *sup.cap.quia in quibusdam, dist.89.*

Ac similiter fructus lite pẽdente percepti, sunt detinendi apud personam probam a Iudice deligendam, iuxta Constitut. Pij V. in hæc verba, *Cordi nobis est, &c.* sublato omni abusu antiquo conuertendi illos in vsus capitulorum, seu Ecclesiarum.

Vide etiam annotata inferius in *Clem.vnic. de sequestr. possess. & fruct.*

APPELLATION.

Cap. Ab eo.

NOnnulla hic statuuntur ad terminandas sententiarum appellationes. Quare conformiter huic dispositioni sciendum est, quod Appellationes in causis criminalibus expediri debent per iudices status Ecclesiastici intra terminum sex mensium, iuxta Constitut. Pij V. in hæc verba, *Licet iuri, &c.* quæ hoc illis iniungit in virtute sanctæ obedientiæ, & per consequens obligat ad pœnam peccati mortalis, secundum omnes.

De appellationibus autem inter regulares consuetis aliqua tetigi in mea Summa, *ver.Religiosus, sub num.* 53.

VITA, ET HONEST. CLER.

Cap. Clerici, qui clericalis.

CVm in hoc textu Clerici prohibeantur sub pœna priuationis priuilegij clericalis artem iaculatoris exercere, notandum est, quod nunc interdicitur laicis, & clericis tam sęcularibus, quam regularibus, beneficiatis, vel sacro Ordine initiatis sub pœna excommunicationis, ne intersint ludis, seu spectaculis, quæ sine periculo vitæ exerceri non possunt, vt sunt agitationes taurorum, & similes, vt ex Constitut. Pij V. *De salute gregis, &c.* de qua agit *Scort.epit.99.*

Eam autem modificauit Greg.XIII. non procedere quo ad laicos, & fratres milites quarumcunque militiarum in Regnis Hy-

ſpaniarum: dummodo non ſint in ſacris Conſtituti; nec in diebus feſtis eiuſmodi ludis interſint, vt per eius Conſtitut. incip. *Exponi nobis, &c.*

Denuo Clemens VIII. reſtrinxit tandem Conſtitut. Pij V. vt non procedat in eiſdem Regnis Hiſpaniarum quoad pœnas ſpirituales, & eccleſiaſticas (monachis, & regularibus cuiuſcunque generis exceptis) ita tamen, vt eiuſmodi ludi exerceantur abſque periculo vitæ, neque in diebus feſtis, vt per eius Conſtitut. *Nos conſiderantes, &c.*

CLERICIS CONIVG.

Cap. Clerici, qui cum vnicis.

Congruit in hunc locum duplex Conſtitutio Six. V. de habitu decenti per quoſcunque clericos deferendo. Altera quidem, *Cum ſacroſanctam, &c.* Altera vero, *Paſtoralis, &c.* de quibus dictum eſt ſupra in antiq. hoc tit.

CLER. NON RESID.

Cap. Conſuetudinem, quæ.

Præter annotata ſuperius hoc eo. tit. in antiq. obſeruandum eſt, poſſe Epiſcopos, ſi velint, intereſſe reuiſioni diſpenſationis eiuſmodi diſtributionum, de quibus hic in textu per totum; hoc enim eis competere conſtat ex illa generali conceſſione *Concilij Trid. ſeſſ. 22. cap. 8. & 9. de reform. & alibi ſæpe.*

REBVS ECCL. NON ALIEN.

Cap. Dudum, & infra.

Poſt antiquas iuris prohibitiones de rebus Eccleſiæ non alienandis, nouiſſime Vrbanus Octauus approbans Decretum Sacræ Congreg. Epiſc. & Regul. incip. *Sacra Congregatio Epiſc. & Regular. Rerum experientia edocti, &c.* vetuit, alienari quæcunque bona immobilia, vel mobilia pretioſa Eccleſiarum Regularium, quæ ſeruando ſeruari poſſunt, non ſeruata forma ibi præſcri-

ſcripta, pempe, non præhabita licentia in ſcriptis ab Eminentiſſimo Vrbis Vicario, vt ibi latius.

Idemque Vrbanus Octauus interdixit, Epiſcopos, & alios Prælatos inferiores infeudare de nouo iuriſdictiones temporales per lineam finitam, vel ob alias cauſas, ad Eccleſiam deuolutas, vt per eius Conſtitutionem. *Humanæ ſalutis Auctor, &c.* Kal. Nouemb. 1625. editam.

Inſuper etiam per aliam ſuam Conſtitution. *Sacroſancti Apoſtolatus miniſterij, &c.* confirmauit Bullam Pij V. de Ciuitatibus, Terris, & locis S. R. E. non infeudandis, & declarauit alteram Bullam Innocentij Noni deſuper editam.

Qui etiam Summus Pontifex Vrbanus in ſua Conſtitut. *Superni benignitas conditoris, &c.* reuocauit conceſſiones diuerſorum officiorum, ac priuilegiorum, exemptionum, gratiarum, & indultorum in præiudicium Sedis, & Cameræ Apoſtolicæ huc vſq; emanatas.

SEPVLTVRIS.

Cap. Animarum periculis.

Sepulturæ Defunctorum exiſtentes in Eccleſijs ſuper terram amoueri debent, & corpora intra terram in tumbis profundis collocari, iuxta Conſtitutionem Pij V. incip. *Cum primam Apoſtolatus, &c.* de qua meminit. *Scort. in Epit.* 90.

Valde autem expediret ad occurrendum incommodis, quę aliquando, circa tumulationes mortuorum euenire videmus, legem ferri, ne corpus ſepulturæ tradatur ante horam duodecimam, poſtquam ſpiritum exhalauit: eius vero, qui repentina morte occubuit, ante vigeſimam quartam horam, niſi forte Epiſcopo videretur, aliud agendum eſſe. Id, quod iam a Sancto Carolo ſtatutum fuiſſe legitur *in ſuo Concilio ſexto prouinciali*.

REGVLAR. ET TRANSEVNT. AD RELIG.

Cap. Is, qui monasterium.

CIrca ingredientes, & profitentes in Religionibus disponuntur nonnulla in hoc textu, quæ nunc cessarunt: nam a temporibus Sixti V. vsque ad hanc diem varia prodijsse Decreta conspicimus pro recipiendis, & informandis in Religione nouitijs, atque vniuersa regularium tam monachorum, quam mendicantium reformatione; quorum partem præcipuam inuenies in mea Summa, ver. Religiosus, in fin. & circa quorum intelligentiam aliqua scribit *Scort. in Epit.* 144. *& seq.*

Præ cæteris autem eiusmodi Decretis specialiter obseruanda sunt nouissima Decreta Sacræ Congr. Conc. Trid. iussu Vrb. VIII. edita, de quibus in prædict. mea Summa, ver. Religiosus, in fin. in 4. impress. In quibus maxime aduertendum est illud, quo præcipitur, in electionibus quorumcunque officialium celebrandis, præstari iuramentum eligendi magis idoneos, & digniores pro cuiusque conscientiæ iudicio. De hac eadem materia regularium vide etiam tradita superius hoc eo. tit. in antiq.

STATV REGVLARIVM.

Cap. Periculoso.

PRæter hanc prouisionem de perpetua clausura monialium in suis monasterijs seruanda, de qua hic in textu, & in Conc. Trid. renouata, vt hic in margine annotatur; sciendum est, quod pro eiusdem clausuræ custodia securius retinēda emanarunt postmodum in dies variæ Sum. Pontificū Constitutiones, inter quas extat Constitutio Pij V. *Decori, & honestati, &c.* in qua tantūmodo remittitur obseruantia in casibus magnæ necessitatis, puta, incendij magni, infirmitatis lepræ, aut Epidimiæ. De cuius morbi significatione, Epidimiæ, scilicet, vide *Sanch. in decal. lic. 6. cap.* 15. *nu.* 33. *cum seqq.* vbi per illam vocem intelligit omnem morbum contagiosum, qui licet omnes non interimat, populariter tamen grassari consueuerit.

De

De Tertiarijs autem statuit idem Pius V. eas non esse tolerandas, nisi seruent clausuram, emittantque professionem regularem, vt ex eius Constitut. *Circa pastoralis officij, &c.*

Alia etiam emanarunt sacræ Congreg. regularium decreta anno 1616. tam pro habitu carũdem Tertiariarum, quam etiam pro emittenda per ipsas professione; & sanctorum Sacramentorum perceptione; nec non & electione sepulturæ.

Tandem vero, sic conditione temporum exigente, vetuit eadem Sacra Congregatio, regulares quoscunque inuisere, & alloqui moniales, & alias fœminas in clausuris degentes; & hoc sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, & alijs, vt ibi.

Quæ tamen prohibitio nuperrime moderata fuit ab Vrbano Octauo non procedere quoad consanguineos in quarto affinitatis, vel consanguinitatis gradu coniunctos, quos aliquoties, nempe, quater in anno alloqui sanctimoniales, seruatis tamen conditionibus quibusdam ibi expressis, non est illis vetitum; vt ex Decreto Sacræ Congregat. Regular. anno 1623. 12. calen. Decemb. annuente eod. Vrb. VIII. Quæ etiam Sacra Congr. declarauit, vltra prædictas pœnas priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, incurri etiam peccatum mortale, quod & ego iam annui in mea *Summa, ver. Monialis, nu.* 17.

Vltimo notandum est, vsu seruari, quod Episcopi pro conseruatione prædictæ clausuræ monialium visitant ipsarum monasteria, etiam regularibus subiecta, etiam absque interuentu, seu assistentia superiorum regularium. Et hoc eis concessum dicitur, quoties id expedire consueuerint.

RELIQ. ET VENER. SANCT.

Cap. Gloriosus Deus.

CIrca venerationem Sanctorum notandum est, nouissime decretum fuisse per Vrbanum Octauum in Constit. sua, *Sanctissimus Dominus noster solicite animaduertens, &c.* ne in Ecclesijs, & alijs locis publicis, seu priuatis exponantur imagines sanctorum cum fama Sanctit. vel Mart. vel memoriæ piorum fidelium, non seruata forma ibi præscripta, videl. non præhabita licen-

tia Sedis Apostolicæ. Etsi quæ apposita sint, amoueri iubentur; sub pœna, quo ad regulares, priuationis officiorum vocis actiuæ, & passiuæ, atque suspensionis a Diuinis. Quo ad seculares autem, priuationis pariter officiorum, suspens. a Diui. Sacram. administrationis, ordinumque executionis.

Ibi tamen excipiuntur, qui per communem Ecclesiæ consensum, vel Patrum Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apost. vel Ordinarij coluntur.

Hic etiam meminisse velim pium lectorem, maxime, cui animarum cura immineret, quam laudabiliter de more sanciuerit S. Carolus Borromeus in Conc. 4. prouinc. par. 1. & antea, in Conc. 3. fol. 25. ne Sanctæ Crucis effigies in vllo quouis humi strato pauimento, aut loco sordido, etiam extra Ecclesiam effingatur. Quod tamen in aliquot locis cum maxima irreuerentia huius nunquam satis laudati signi, quod subactis inferis, cœloque aperto, Tartari Regem catenatum traxit, indignissime aliquando violari conspicimus.

IMMVNIT. ECCLES.

Cap. Eos, qui.

CVm hic disponatur, Dominos temporales prohibentes subditis, ne quicquam vendant personis Ecclesiasticis; aut ab eisdem aliquid emant (cum talia in derogationem libertatis Ecclesiasticæ præsumantur) excommunicationem ipso facto incurrere, notandum est, quod similiter etiam videretur esse contra libertatem Ecclesiasticã prohibere, nequis, nisi conductores macellorum venderet carnes personis Ecclesiasticis; quas palam est eiusmodi statutis laicorum non ligari.

DISCEPTATIO.

An exceptio a publicis oneribus iuste competat clericis pro tempore, etiam quo non retinent famulatum.

AVdiui aliquando controuersum fuisse, An Clericus actualiter, seu de præsenti non retinens domum apertam, & sic

neque

neque familiam, aut famulatum laicorum pro suo seruitio, sicut ante, eò quod nunc deseruiat Prælato, ac Superiori suo, de iure, & in cõscientia potiri adhuc valeat exemptione, seu immunitate impositionum, & onerum, quibus gaudebat pro certo numero buccarum, & laicorum sibi anteà familiariter, ac in domo eius propria inseruientium.

Et quidem si vnicum etiam famulum in domo propria retineret, non videretur iuste priuandus anteriori exemptione, & immunitate sua; eo quia tunc vere dicitur habere familiam, sicut & dicimus, eum sine liberis non decessisse, qui, vnico filio relicto, decesserit, *l. pater Seuerinam*, *§. 1. de condit. & demonstr. l. non & sine liberis, de verb. & rerum signif.*

Maior autem esset difficultas, si nullo famulo domui propriæ inseruiente, ipse Clericus in aliena domo inhabitaret, Prælato suo inseruiens, tunc enim non habens indigentiam specialis familiæ pro suo famulatu, non videtur iuste posse admitti ad participationem pristinæ exemptionis tributorum; & onerum publicorum.

Attamen adhuc quoque verius erit dicendum, eum habere familiam, & famulatum, & per consequens non amittere antiquam exemptionem suam; & hoc quidem si ad aliquod breue tempus tantum ita sit permansurus, puta, per quatuor, vel sex menses: non etiam vlterius.

Et huius resolutionis ratio est, quia quæ casualiter eueniunt, non solent haberi in consideratione, vt late prosequitur *Euer. in loco a Communiter accidentibus, & ego in mea Summa, ver. Absense, num. 4. Actus, num. 18. & Ciuitas, num. 1.* Et propterea videmus, quod si parochia vniatur accessorie canonicatui, assumit eius naturam, & consequenter poterit illam habere canonicus, etiam non existens in ætate, quam requirit parochialis, vt alias sapientissimi Patres responderunt. Quare cum hæc consuetudo Oratoris degendi in seruitio sui Prælati extra domum propriam, non sit perpetua, nec indeficiens, sed ad nutum mutabilis, siue ex parte sua propria, siue ex parte Domini, non debet inducere exuitionem pristinæ exemptionis, siue immunitatis tributorum.

Quæ sane Decisio confirmatur ex doctrina *Iasonis in l. sciendum §. si fundum, num. 6. ff. qui satisd. cog.* vbi excusatio ab oneri-

ribus publicis ex aliqua causa iusta semel admissa, non deficit, sed durat, etiam si illa causa deficiat, & ibi latissime probatur. Quare, &c. Saluo semper.

DISCEPTATIO.

De Episcopo non repetente de manu Iudicis laici clericum, etiam ob sua delicta manifeste exutum omni priuilegio Clericali.

FVit etiam in dubium reuocatum, An peccet Episcopus, & efficiatur irregularis, si non requisierit de manu Laici iudicis clericum suum subditum, etiam si constet, illum amisisse priuilegium fori, iuxta dispositionem Concilij Tridentini, & propterea contingat, eum membro, vel vita per eundem iudicem priuari.

Sciendum est autem pro sufficienti huius dubitationis resolutione, Clericum non beneficiatum, nec sacris initiatum, non seruantẽ cõditiones *Concilij: sess.23.c.6.de refor.* nõ gaudere priuilegio fori: non tamen satis esset vnica, vel etiam multiplex habitus dimissio; sed necessaria est tanta perseuerantia, vt publice existimetur laicus: & idem est, si aliquando dimittat Diuinum Ecclesiæ suæ seruitium; quia nec ista intermissio esset sufficiens ad priuandum eum priuilegio antedicto, cum & fluuius aliquando exarescens adhuc tamen perennis censeatur: de qua re late post alios tradit. *Genuens. in prax. cap.7.*

Præterea notandum est, quod Episcopus non repetens clericum suum subditum a iudice laico indebite detentum, grauiter peccat; quia posset propter hãc omissionem deponi, vt ex *Cassan. consi.38.cod. Genuensi vbi sup. cap.6. in fi. Bellet. disquisit. cler. par. 1.§.12.in fi.*

Difficultas autem est, an supposito, clericum ex sua culpa priuatum esse priuilegio fori, & detineri in carceribus iudicis laici, Episcopus possit illum de iure repetere, non tanquam gaudentem priuilegio fori, & ad eius vtilitatem, sed ad propriam eiusdem Episcopi iurisdictionem in eum retinendam; eo quia si peccauit clericus, propter quod merito exutus est priuilegio fori, non propterea

pterea eius Prælatus debet cēseri priuatus suā in eum, sicut & in cæteros clericos, iurisdictione antiqua; cum res inter alios acta alijs non præiudicet, sicut nec prodest. *cap. pen. de re iudic. cum simil.* Immo & clericus non declinans forum iudicis laici, peccat, & debet puniri arbitrio sui Episcopi, cuius iurisdictioni, quod ex se est, præiudicare censetur, vt post alios *not. Aufrer. in cle. 1. offic. Ordin. nu. 15. in versic. Tertio quaeritur*:

Verum, his non obstantibus, videtur, esse resoluendum, non posse Episcopum, & propterea neque etiam teneri repetere clericum de manu Iudicis laici, postea quam legitime apparet, illum amisisse ob sua delicta priuilegium fori; potest autem sic probari: Episcopus enim non dicitur a Iure priuilegiatus; sed clericus, seruatis seruandis per Concil. Trid. vbi supra, statutis, priuilegio fori munitus apparet, & sic ipse dicitur priuari priuilegio, quo sane immerito contra ius delinquens, de cętero gauderet: per consequens vero Episcopus desinit habere in illum Iurisdictionem. In omnibus autem actibus attenditur, & consideratur id, quod principaliter intenditur, & sic præiudicium per solam consequutionem non habetur in consideratione, vt in mea *Summa, verbo, Causa, nu. 8. Quantitas nu. 1. & 9. Remissio 10.* quinimmo addi potest, quod cum Episcopus maxime teneatur euitare, ne delicta remaneant impunita *cap. vt fame, de sent. excommu.* & publicę intersit vtilitati, ne per impunitatis audaciam fiant, qui nequā fuerant, nequiores, si rei eiusmodi inquisiti aduerterent, se posse per Episcopum e manibus Curiæ secularibus eripi, audaciores profecto, & obstinatiores redderentur in confitenda veritate delictorum, & in longiora tempora protraherentur eorum processus ob renitentiam Iudicis laici, in magnam reipublicæ perniciem; cum interim testes, qui interfuerunt delictis, possint mori, seu seduci, vel forte non tam bene memoria retinere, quæ iam viderant, vel audierant tempore carcerationis; & sic difficile esset de nouo capere informationem, & veritatem multis modis occultari, & obscurari contingeret.

Nec iuuat Episcopum ratio adducta, quod cum ipse non deliquerit, non debet sua Iurisdictione in Clericum subditum priuari, quia dicebatur supra, illum non dici spoliari, sed desinere eius Iurisdi-

risdictionem, sicut ad interitū corporis, vmbram cessare oportet, Et sicut correlatiuorum ea est natura, & conditio, vt posito vno, ponatur & reliquum: Et e contra, ad remotionem vnius sequatur & remotio alterius: & lex correctoria in vno ex correlatiuis verificetur etiam in alio. *Euer. late in Centuria, in loco à Correlatiuis, per totum*: Propterea nil mirum esse debet, si Ius priuat Clericum priuilegio fori, sic de meritis eius exigentibus, dicatur etiam cessare Iurisdictio Prælati in eundem Clericum, iuxta illud, Si re priueris, nec nomen habere mæreris. Si non est ouis, non est Pastor. Si non subditus, nec Superior, aut Prælatus: Si non est filius, neq. Pater, cum similibus multis.

Et per hæc etiam cessat ratio illa, quod res inter alios acta alijs nō præiudicat; quia inter multas limitationes, quæ illi regulæ conueniunt, præcipua censetur esse illa, quod non intelligatur procedere de præiuditio secundario, & accessorie, seu minus principaliter contingente: huius enim nulla ratio, seu consideratio haberi consueuit: *vt late per Tiraquel. in Cod. vari. tract. in fi. in explanatione prædictæ regulæ: post principium vers. & fere semper*.

Ex his ergo apparet, Episcopum non posse de iure clericum suum iam ob sua demerita exutum priuilegio fori repetere de manu iudicis laici; cum iam desierit esse de iurisdictione superioris, & iudicis ecclesiastici. Saluo semper.

HÆRETICIS.

Cap. Quicunque Hæreticos. §. Hæretici autem.

QVicunque regulares, etiam post pœnitētias a S. Inquisitione impositas, ab eisq. expletas, vel gratiam de illis receptam (pœnitentijs tamen salutaribus exceptis) eo ipso ad omnes religionis gradus, & officia perpetuò inhabiles efficiuntur, nisi rehabilitationis gratiam obtineant, vt ex Decreto eiusdem S. Inquisitionis ab Vrb. VIII. nouiter approbato 1626.

Pleraque alia de hac eadem materia vide sup. hoc eo. tit. in antiquis.

HO-

HOMICIDIO.

Cap. Pro humani redemptione.

INterficiens per assassinos aliquem, vel etiam mandans, per hûc textum ipso iure excommunicatus est. Cui sane dispositioni conformiter nunc prouide cautum fuit, quod diffidati, & exulati e statu ecclesiastico non possunt per subditos eiusdem status receptari sub grauissimis poenis, tam temporalibus, quam spiritualibus, excommunicationis, videlicet, latæ sententię, cum reseruatione, vt per Constitut. Greg. XIII. *Tanta, &c.* Quam tamen non incurri per receptatores coactos, vel consanguineos ad subueniendum illis in casu necessitatis, & non ad fouendum malitiose eorum statum malum, cæteris dannosum, & noxium, rationabiliter defendit *Nauarrus cons. 57. 59. & 68. sent. excomm. Axor. lib. 2. cap. 3. quæst. 3. tom. 2.*

DISCEPTATIO.

An peccet Princeps in foro poli non exhibens suos Subditos Principi confinanti, cuius persona, & bona in dies vexare non desinunt.

IN dubium vertitur, an Princeps sciens, subditos suos circuire vicinorum agros, ipsorum bona depredando, ac personis plerisque notabiles iniurias, atque etiam aliquádo ipsam mortem inferendo, requisitus ab eorundem Iudicibus læsorum, teneatur in foro poli eos sontes illis tradere ad puniendum, iuxta ipsorum demerita.

Et breuiter de more agendo, dicendum esse videtur affirmatiue; Deus enim mandauit vnicuique de proximo suo, multoq. magis terrarum Principibus, qui inter populos Dei vice iustitiam vnicuiq. ministrare tenentur; constat autem, quod error, cui non resistitur, approbatur. In illum ergo maxime congruunt verba S. *Augustini in cap.* 1. 14. *q.* 6. dicentis, Sicq. fidentissime dixerim, eum, qui ad se confugientem, quantum commode potest, ad resti-

tutio-

tutionem non compellit, socium esse criminis, & fraudis. Supponimus autem, eiusmodi Principem commode, & citra sui, vel suorum præiudicium, posse habere cum adiacentibus sibi Dominis consuetas pactiones, & fœdera, sibi inuicem remittendi siccarios eiusmodi, vicinorum territoria sic impiè diuexantes.

Et confirmatur hæc conclusio ex illo communi axiomate, iudicem delicti, domicilij, & originis posse punire delicta; quinimmo iudicem domicilij dici iudicem proprium. Forus enim domicilij est generalis, & vniuersalior omnibus alijs, ad notata in *cap. fin. de foro compet.*

Nec iuuat Principem istum, quod ipse non consentiat eorum malefactis; quia vltra superius tacta ex August. non sufficit, quem abstinere a malo, nisi etiam faciat bonum: *auth. nou. for. fidel. circa med. col. 10 gl. in cap. de forma 32. q. 5. cum simil.*

Et optime facit contra eundem Principem sententia aurea Vrbani Papæ *in cap. qui aliorum 24. q. 3.* vbi dicitur, qui aliorum defendit errorem multo amplius damnabilior est illis, qui errant: quia non solum errat, sed etiam alijs offendicula erroris præparat, & confirmat. Tandem, ex doctrina omnium in materia restitutionis, receptans recurrentes ad se tenetur æque, ac ipsi damnificantes, ad omnium integram restitutionem damnorum.

Quare & ipse Princeps in manibus omnium delinquentium erit, dum eorum malefacta non punit.

Vel ergo eos condigne puniat, tanquam iudex domicilij; vel remittat ad Iudicem delicti, ad notata in prædicto *cap. fin. vers. ratione delicti, de foro compet. & ad tex. in l. 1. C. vbi de crim. agi oport.* Saluo semper.

VERB. SIGNIF.

Cap. Exijt, qui seminat, longe post medium. §. verum.

CVm in hoc textu inter cætera disponatur, quod fratres Minores iuxta regulam S. Francisci non prædicent in ecclesijs suis, contradicente Episcopo.

Notandum est, quod possent quidem Episcopi non generaliter, & absolute interdicere regularibus exemptis, ne prædicent in ecclesijs

clesijs suis, sed sic aliquando, ex causa, nempe, rationabili, puta, occasione alicuius publicæ processionis, vel alterius similis functionis, quo populi frequentiores ad cathedralem conuenirent.

De alia etiam ratione, ob quam posset Episcopus interdicere prædicationem regularibus in eius diœcesi, dicetur inf. *in Clem. Dudum, de sepult.*

IN CLEMENT.

SVMMA TRINITATE.

Clem. Fidei catholicæ.

QVIS nunc censeatur hæreticus relapsus ad præscriptum Constitutionis Clementis Octaui, vid. sup. hoc eo. tit. lib. 6. vbi exprimuntur nonnulli articuli ab omnibus catholicis credendi, alias pro relapsis puniri deberent.

ELECTIONE.

Clem. Cum rationi non congruat.

VIdenda est omnino Constitutio Greg. XV. circa electionem Summi Pontificis, & altera Vrbani Octaui, de quibus *sup. dist.* 79. in quibus traditur noua forma electionis per vota secreta, in perpetuum de cætero seruanda.

DISCEPTATIO.

An elector cæcus euadens admittendus sit cum alijs ad electionem, & quomodo.

IN Dubium vertitur aliquando, quid nam agendum sit, si vnus ex electoribus efficeretur cæcus; an scilicet ob illud impedimentum excludendus sit a collegio electorum, an potius aliquo modo

modo habilitandus ad coeligendum cum cæteris, maxime vero in electione facienda per schedulas.

Constat autem apud omnes, defectum oculorum superuenientem non impedire exercitium iudicis. *l.cæcus ff.de iudicijs.* Et generaliter superueniens inhabilitas non debet quem priuare iure iam quæsito. *cap.1.cler.ægrot.c.cum percussic.7.q.1.* quod etiam in dignitatibus ecclesiasticis procedit. *cap.satis peruersum dist.* 55. & cæcis potius miserandum, & de nouo subueniendum est. *cap. licet, de censibus.* Multaq. permittuntur per superuenientem necessitatem, quæ alias non essent toleranda. *l.si longius, de iudic. & tit.de cler.ægrot.per totum. Rot. decis.* 889. *nu.* 8. *in nouiter nouiss. Farin.* Præsupposito igitur pro constanti, cæcum non esse priuandum iure suo eligendi ex causa superuenientis cæcitatis, propius accedendo ad propositam quæst. reliquum est, vt quæramus de modo exprimendi votum, prout fit, per schedulas. Ad hoc ergo respondet Castellinus, nunc meritissimus Episcopus Catazan. *tract.de elect.cap.*5. *nu.*60. cæcum debere admitti ad eligendum vna cum cæteris electoribus, faciendo sibi conscribi nomina eorum, quos intendit eligere, iniuncto eiusmodi scriptori iuramento de fidelitate seruanda, vt ibi per eum. Ego autem dicerem pro faciliori, atque tutiori forma eligendi, quod elector cæcitate inuasus seruando antiquam formam, de qua *in cap. quia propter, de elect.* accederet ad aures scrutatorum, ibiq. votum suum explicet; sic enim facilius euaditur periculum infidelitatis; retento etiam secreto nomine eligentis. Quamuis autem forma per schedulas a iure nouiss. præscripta respectiuè ad hunc electorem cæcitate oppressum, seruari non possit; tamen in ordine ad substantialia electionis, nihil impedit ex causa rationabili superueniente, id præstare ad aures scrutatorum, ob regulam illam. Quod vbi forma alicuius actus in totum seruari non potest, tamen explicanda est omni meliori modo, quo fieri potest, vt dixi post alios in mea *Summa ver. Examen, nu.*3. & alibi sæpe. Vnde, Iudex si ferendo sententiam sedere non possit, eo quod forte doleat in podice, debet sedere meliori modo, quo potest, & sic omni meliori modo, quo potest, seruare formam in iudicando a iure præscriptã. *gl. in cap.fin. ver.sedendo, de sent.& re iudicata, in* 6. Et de hac forma antiqua

in

in aliquo actu præscripta, & legitime seruanda, vbi noua ex aliquo impedimento seruari non possit, *vide Abb. in d. cap. quia propter, nu. 16. elect. & in consil. 25. lib. 2. Marisc. var. resol. lib. 1. cap. 52. num. 35.*

Vnde ex his omnibus iste posterior modus eligendi in casu electoris cæcitate laborantis, amplectendus esse videtur. Saluo semper, &c.

ÆTAT. ET QVALIT. PRÆFICIEN.

Clem. Cum Ecclesiæ.

TEnentur Diœcesani seruare, & a suis subditis seruari facere statuta canonica de qualitate personarum ecclesijs præficiendarum, vt hic in textu cauetur.

At conditiones, & qualitates requisitę in promouendis ad Episcopales, seu alias ecclesias consistorialiter prouidendas, habentur in Constitut. Greg. XIV. de qua dictum est *sup. dist. 25. cap. vlt.*

OFFICII VICAR.

Clem. Quæ de Ecclesijs.

CVm in hoc textu quo ad tria æquiparentur Ecclesiæ curatæ, & Vicariæ perpetuæ parochialium; propterea in hunc locum optime congruit Constitutio Pij V. *Ad exequendum, &c.* de qua *sup. c. 3. hoc tit. in antiq. & latius in c. fin. in 6.*

SEQVESTR. POSSESS. ET FRVCT.

Clem. Ad compescendas.

IMpediens sequestrationem beneficij de iure factam ab ordinario loci excommunicatus est per hunc textum.

Quare, præter dicta superius in *cap. 1. vt lite pend. nihil innou. in 6.* notandum est, quod ex Constit. Pij V. incip. *Cordi nobis est, &c.* Omnia emolumenta beneficij litigiosi deponenda sunt penes personam fide, & facultatibus idoneam, restituenda postmodum ei, cui de iure fuerint restituenda, lite finita.

Seque-

Sequestrum autem quamuis regulariter de iure ciuili, & canonico fieri prohibeatur, tamen in plerisq. casibus illud permitti apparet, vt penes *Gonzal. in regu. oct. Cancell. §. 7. proem. nu. 19. cum seq.* vbi iudex generaliter & ex iusta causa sibi beneuisa potest ex officio illud apponere.

Occurrit hic dubitatio de beneficiato transigente cum pensionario ad euitandos litium anfractus, vt deinceps non teneatur ei soluere pensionem maiorem, quam coram Deo, & in conscientia sit ei obligatus, attento tenore bullarum suæ reseruationis, ad mentemq. ac dispositionem sacri Concilij Trid. statuentis, centum remanere Rectori. Qui sane beneficiatus, computatis computandis, reuera comperit, centum, & eo amplius aliquot etiam ducatos sibi obuenisse per annum ex fructibus beneficij; sed nec omnes sibi suffecisse ad victum competentem, & necessarium; & propterea non modicum ęs alienum contraxisse pro sui necessaria sustentatione. Ex qua ratione noluit pensionem vllam soluere, asserens, mentem Concilij satis quidem iustificari ex qualitate, ac cõditione illius temporis, quo pretia rerum ad victum, & vestitum pertinentium multo minora extitisse constat, quam nostris his temporibus in praxi euenire experiamur. Vnde, attenta prædicta Concilij dispositione, quicquid sit in foro exteriori, potuit in conscientia excusari Orator; cum rei appellatione contineantur, & causæ, & iura eiusdem rei. *l. rei appellatione, de verb. & rer. signif.* Et sic existimare potuit rationabiliter, intentionem prædicti Concilij iustam, ac omni æquitate fulcitam fuisse, pensionem præstari debere ex fructibus, si qui superfuerint, post necessaria alimenta Rectori relicta. Et hoc intellige, circumscripta forte quacunque alia pensionis deputatione, puta, etiam nullis fructibus perceptis, & simili, ad maiorẽ pensionarij fauorẽ ex stilo curiæ recepta. Saluo sẽper.

VITA, ET HONEST. CLER.

Clem. Quoniam, qui abiectis.

DE habitu decenti per clericos cuiuscunq. conditionis deferendo, extant nonnullæ Constitutiones Pontificiæ, de quibus dictum est *sup. cap. 1. 21. q. 4.*

REBVS

REBVS ECCLES. NON ALIEN.

Clem. Si vna Ecclesia.

STatuitur hic, Episcopum posse vnire Ecclesiam vnam alteri. Quod si fiat, vnio parochialium de iurepatronatus plurium patronorum, equum esset, vnicuique ipsorum alternis vicibus reseruari præsentationem.

Similiter etiam notandum est, vnionem extinguere, & supprimere nomen beneficij, sicque desinere esse in rerum natura, & tanquam purum, & simplex prædium remanere penes locum, cui fuit vnitum, omni effectu beneficij pœnitus sublato. vt per *Gonzal. qui multa tangit vtilia in reg. de trien. q. 8. vers. 2.*

RELIG. DOMIBVS.

Clem. Quia contingit. §. vt autem.

DEcernitur hic, administrationis rationem piorum locorum singulis annis reddendam esse ordinarijs. Notandum autem est, quod quamuis Prælatus solus, posset de iure exigere rationem administrationis locorum eiusmodi piorum, consultius tamen ageret, si secum etiam assumeret aliquem ex officialibus eiusdem, vel alterius loci pij, vt sic tutius officium, munusque suum impleret, iuxta illud vulgare dictum, *Maiestas inuisa, humanitas grata mortalibus est*, Et illud *Eccles. 32. Esto in illis, quasi vnus ex ipsis*, cum simil. alijs.

Occasione prædictæ annotationis lubet hic adiungere dubitationem de beneficiario, qui solertia sua meliorauit nonnullas terras sui beneficij antea inutiles, illasque ad culturam proprijs sumptibus reduxit. Posteà cum ob sua demerita priuatus fuisset eodem beneficio, clam sibi retinuit aliqua illius bona, in compensationem expensarum, quas, vt supra, erogauerat in culturam agrorum: quæsitum ergò fuit de iustitia huius retentionis.

Et breuiter veniendo ad punctum quæstionis, videtur dicendū, quod cū nemo duplici contritione conteri debeat; nec afflicto addenda sit afflictio, potuit præfatus beneficiarius, iuste cōpensatio-

tionem illam facere in conscientia, dummodo rationabiliter existimauerit, quod & in omni compensatione seruandum esset, iustitiam sibi administrandam non esse in foro exteriori ob defectum forte probationis iurium, vel similem. Et pro hac resolutione adduco textum, cum ibi traditis per Doctores *in cap. ad aures, sup. de reb. eccles. non alien. Panorm. in cap. multa, col. 4. n. 14. praben.* facit etiam *tex. in cap. fin. de pecul. cler.* vbi fere similis decisio habetur ad litteram: & faciunt quæ dixi in simili in mea *Summa, ver. Clericus, num.* 15.

SEPVLT.

Clem. Dudum, paulo post princip. ibi: Et propterea intendentes, ad finem periodi, in illis verbis, vel coram se facere solemniter prædicari, &c.

ETsi verba ista, videl. Coram se solemniter prædicari facere, dubitationem aliquam continere videantur; tamen sensum hunc faciunt, nempe, vt semper dicatur solemniter prædicari coram Episcopo, quoties extra propriam Ecclesiam suam, vel Oratorium ipse audit prædicationem; & sic solemniter prædicari opponetur prædicationi priuatæ, seu domesticæ intra proprios lares habitæ.

Superius etiam dictum fuit, quando nam in alio casu possit per Episcopum interdici prædicatio regularibus. *vide in cap. exijt, verb. signif. in 6.*

Ibi. ad fi. in §. Nos etenim, ibi, priuilegia, verbo, seu scripto.

VAriæ Constitutiones reuocantes pleraque priuilegia, seu concessiones antiquas, habentur *sup. cap. contra morem, dist.* 100.

STA-

STATV MONACH.

Clem. Ne in agro Dominico.

GEnerale fit interdictum in hoc textu monachis nigris circa exquisitum ornatum, vel excessum in vestibus, cibis, potibus, equitaturis, & simil. At nunc de reformtione omnium fere regularium plures iam a temporibus Sixt. V. editæ sunt Constitutiones, & Decreta. Apostolica, quarum præcipuæ habentur apud *Quaran. ver. Monasterium, & in mea Summa, ver. Religiosus, per totum*. quæ hic referre laboriosum esset.

Vnde Obiter hic dubitatur de statuto cuiusdam Ordinis Regularis, in quo cauetur, vt Capitulares non interessentes Capitulo locali per tres vices continuas absque iusto, & rationabili impedimento, incurrat ipso iure suspensionem ab actibus Capitularibus per tres menses continuo subsequentes. Modo vnus ex prædictis Capitularibus non interfuit per duas vices Capitulo, tertia autem vice accessit quidem ad Capitulum, sed iam aliquot actus Capitulares fuerant expediti, nondum tamen dimissum fuerat Capitulum. Quare in dubium vertitur an inciderit in pœnam statuti.

Et prima quidem facie videbatur dicendum affirmatiue; quia paria sunt, aliquid non fieri, vel illud inutiliter fieri. *cap. 1. translat. episc. l. de ætate, §. nihil, ff. de interrog. act. cum simil.* Ergo cum Orator interfuerit capitulo post expedita negotia capituli, non est dicendus illi interfuisse.

Qua tamen, & simili ratione non obstante, contrarium videtur esse verius; quia quandiu capitulum non fuerat dimissum, adhuc perdurare dicebatur: probatur a simili *ex l. Diuus Antoninus, 8. ff. de restit. in integr.* Vbi, qui accedit ad iudicem adhuc in tribunali sedentem, etiam post accusatam cótumaciam coram ipsomet iudice, immo & post secutam condemnationem contumaciæ, dicitur tempore debito cóparuisse, & sic ei non debet obesse condemnatio iudicis.

Non obstat ratio adducta in contrarium; quia sufficienter, non autem inutiliter interfuit capitulo qui illi adfuit, antequam dimit-

teretur, quod maxime probatur a prædicto simili pro hac parte adducto.

CELEBR. MISSARVM.

Clem. Graui nimirum.

NVperrime Sacra Congregatio Concilij Trid. iussu Vrbani VIII. nonnulla edidit saluberrima Decreta pro oneribus Missarum, rite, ac sufficienter obeundis, quæ incipiunt, *Cum sæpe contingat, &c.* Per quæ reuocantur priuilegia satisfaciendi vnica missa, vel certo collectarum numero, pluribus missarum obligationibus; quæ omnino videnda sunt. & ea habentur in mea Sum. ver. Missa, in fine, in 4. impress. Alia etiam habentur sup. hoc tit. in antiq. vbi vide.

Et hic adnotari lubet, Sanctum Carolum sapienter de more statuisse *in suo Concil. Prouinc. 4. fo. mihi 93.* particulas sanctissimi Sacramenti octauo quoque die, prout de iure, renouandas esse: ipsasque fieri ex hostijs non ante viginti dies confectis.

MAGISTRIS.

Clem. Inter sollicitudines.

DEcernitur hic, in vniuersitatibus plerisque constitui Lectores linguæ Hebr. Arab. & Chaldaicæ. Sic & Paulus V. in Constit. *Apostolicæ seruitutis, &c.* vtiliter statuit, in omnibus studijs quorumcunque regularium existere debere lectores linguæ Hebraicæ, græcæ, & latinæ; & in maioribus, & frequentioribus etiam caldaicæ, qui eas assidue doceant, & legant.

Postea Vrbanus VIII. anno 1625. die 18. Septembris decreuit, quod libri in quacunque materia compositi ab existentibus in statu immediate, vel etiam mediate subiecto. S. R. E. prohibentur alio deferri, vel mitti imprimendi absque expressa inscriptis approbatione Eminentissimi Vicarij Vrbis; & Reuerendissimi Magistri Sacri Palatij, si in Vrbe; extra vero fine Ordinarij, & Inquisitoris loci illius, siue ab ijs deputatorum, facultate, & licentia

ope-

operi præfigenda, sub pœna prohibitionis ipso Iure eiusmodi librorum.

Lectores Sacræ Scripturæ in Cathedralibus virtute Concil. Trid. deputandi, quam exemptionem possint prætendere ab interessentia diuinorum officiorum, *vide sup. cap. fin. hoc tit. in antiquis.*

Et quia dictum est sup. cap. Ignorantia, dist. 38. Pium V. reuocasse priuilegia concessa Comitibus Palatinis, & alijs quibuscunque personis, promouendi aliquem ad gradum doctoratus, declara, id ita esse intelligendum, videlicet, quod eiusmodi promoti ad gradum doctoratus, nulla gradus præfati prærogatiua frui, & gaudere possunt quo ad dignitates, cæteraque beneficia Ecclesiastica: sic disponente eadem Constitutione Pij V. de qua in præf. cap. Ignorantia, dist. 38.

D I S C E P T A T I O.

Proponitur intelligentia cuiusdam Decreti Regularium, ne quis imprimere audeat Codicem, seu librum absque speciali licentia sui Superioris.

MOuetur dubium circa Decretum cuiusdam Ordinis Regularis, per quod vltra pœnas de Iure Communi inflictas, sub noua, ac speciali pœna prohibitum est suis subditis imprimere, vel imprimi facere librum aliquem absque speciali licentia Superioris; Cum autem N. imprimi fecerit quędam Codicem suum sub nomine amici sæcularis, dubitatum est, an sit locus prædicto Statuto.

Et breuiter agendo dictum fuit negatiue, ex doctrina *Alex. in l. 1. in principio, de verborum obligatione, & relatis per Bertac. verb. Facere, n. x.* cui enim non conueniunt verba legis, nec dispositio ipsius legis conuenire potest, Iuribus vulgatis; ueт autem, non posse dici proprie, ac communiter loquendo, imprimentem librum, si quis cum ementito nomine, tanquam alienas lucubrationes euulgat; nec vnquam auctor alicuius codicis censetur alius ab eo, cuius nomen præponitur eidem Codici: In pœnalibus autem

verba proprie, & stricte sunt accipienda, & quamuis faciens per alium dicatur per se ipsum facere; tamen id erit verum quo ad effectum, non autem quoad pœnas Ecclesiæ, seu fori exterioris. Vnde, mandans non incurrit censuram latam contra facientem, & prohibitus facere potest tamen consentire facienti illud prohibitum, quæ inter se diuersa sunt. *l. domum suam, vbi Dec. & alij notant, de reg. Iuris.*

Nec quis obijciat, per hunc modum intelligendi posse statutum illud facile eludi; quia passim fierent librorum impressiones suppresso nomine proprij auctoris; nam respondetur, negando hoc præsuppositum, & hanc facilitatem euadendi pœnam statuti, imprimendo proprias elucubrationes alieno nomine; cum immo, iuxta vulgare dictum, Suum cuique pulchrum, & nemo duros studiorum labores perferre consueuit, vt exinde alijs vel opes, vel gloriam comparet humanam; Et ideo, cum leges aptentur ad ea, quæ communiter & vt plurimum eueniunt, non est mirandum, nos affirmare, statutum huiusmodi non afficere imprimentem nomine alieno. His omnibus addi potest, bono fine, ac recta intentione, id etiam aliquando fieri posse; puta, vitandi vanitatem, & sic absque præsumptione, & temeritate, quæ in ipso statuto considerantur; & ideo nec statim esse damnandum, ad *tex. in cap. estote misericordes, de reg. Iur. Saluo semper.*

HÆRETICIS.

Clem. Nolentes in fine.

PRohibetur hic Inquisitoribus abusus armorum, & circa qualitatem, & quantitatem officialium. Vnde, & ad protectionem eorundem officialium S. Inquisitionis edita est constitutio Pij V. *Si de protegendis, &c.* Et ad eadem fauorem regularium denuntiantium, vel testificantium in officio eiusdem S. Inquisitionis, indulsit idē Pius V. in Const. *Sanctiss. Dominus noster consulens libertati, &c.* regulares eiusmodi remoueri non posse a pristina eorum habitatione infra quinquennium factæ denuntiationis, seu depositionis, absque expressa licentia S. Inquisitionis Generalis.

Dè

De hac eadem materia vide etiam supra hoc *titul. in antiquis & in 6.*

PRIVIL.

Clem. Archiepiscopo, ibi, Crucem ante se.

ARchiepiscopus transiens per loca exempta suæ prouinciæ facit ante se crucem deferri: vt hic statuitur. At ponamus, quod Archiepiscopus titularis cõsecratus assumeretur ad Episcopatum, non videretur tunc posse absque speciali priuilegio apostolico ante se deferri facere crucem; ratio est, quia ibi esset tanquam Episcopus, & non tanquam Archiepiscopus.

De hac materia late *Steph. Quaranta, ver. Archiepiscopi auctoritas*, vbi examinat quadraginta circiter auctoritates Archiepiscoporum, de iure illis competentes.

Hic etiam notandum erit, quod Archiepiscopi, & Episcopi exercere volentes Pontificalia in Ecclesijs Regularium, etiam exemptorũ, possunt ibi Baldachinum erigere; etiam eis inuitis; & sic per eosdem Pontifices censuris compelli, & pœnis Ecclesiasticis possent affici, vigore Decreti Sacræ Congregationis, Clemente VIII. annuente editi, & incip. *Decet, Episcopis, pro eo. &c.* Cum antea in vim huius Clementinæ potuissent quidem Pontifices exercere Pontificalia, quæ in eadem continentur; sed oportebat agere coram superiore eorundem exemptorum, in casu contradictionis ipsorum. Et sic hodie ampliata est auctoritas huius Clementinæ ex dispositione prædicti Decreti in exẽptos impedientes vsum Pontificalium in suis Ecclesijs.

IN EXTRAV. IOAN. XXII.

TORNEAMENTIS.

Extrauag. Quia in futurorum.

Reuocatur in hac Extrauag. sententia excommunicationis contra exercentes hastiludia, & torneamenta a Clem. V. olim inflicta. At nunc hæc Torneamenta, seu taurorum agitationes, & similia quomodo permitti possint, dictum est *sup. in antiq. hoc tit.* vbi qua ad aliquas prouincias, & quo ad genera quædam personarum, citra periculum tamen mortis, tolerari possent.

CRIMEN FALSI.

Extrau. Prodiens quasi.

CVm hic prohibeatur alchimia, eamque facientes, & fieri procurantes, grauiter puniantur, notandum est, quod ex nouiss. iure Constitutionis, Pij V. *Cum nil magis* &c. cudentes monetas tam aureas, quam argenteas, damnantur pœna vltimi supplicij.

Hanc eandem Constitutionem ampliauit, & extendit Vrbanus Octauus ad omnes personas Ecclesiasticas, etiam regulares, atque ad omnes prouincias per Italiam existentes, quouis modo monetas antedictas adulterantes, vt per eius Constitut. *In suprema Pastoralis specula, &c.*

DISCEPTATIO.

Agitur de intelligentia pensionis constitutæ in tot scutis monetæ illarum partium.

OCcasione autem præfatæ dispositionis proponitur quæstio de quadam pensione scutorum, puta, ducentorum, monetæ

netę illarum partium imposita ad fauorem Clerici Diœcesis Bergomensis super fructibus cuiusdam Ecclesię eiusdem Diœcesis, & per bienij tempus in varijs monetis vsualibus, & currẽtibus, prout communiter fieri consueuerunt quęcunque solutiones debitorum in illis partibus, soluta. Cursu vero temporis contigit, vt paulatim aucto valore monetarum tam auri, quam argenti, pensionarius peteret solutionem in scutis, vulgo, *d'argento*, quæ est moneta specialis formæ a scutis currentibus, & imaginarijs, & pretij variabilis pro conditione temporum; prout etiam quotidie variari conspicimus omnes fere monetarum species cuiuscunque pretij, qualitatis, seu impressionis, ac formæ extiterint; cum è contra species illa scuti imaginarij in toto illo statu serenifs. Dominij inuariabiliter, & vniformiter soluatur in omni extinctione debiti ad rationem librarum septem pro singulo scuto. Quæritur ergo quid iuris.

Et breuitati quidem de more studendo dicendum videtur, solutionem prædictæ pensionis esse faciendam in consueta moneta currentium scutorum vsualium, quæ dicuntur, vt supra imaginaria, & eiusdem semper valoris, & estimationis in eisdem partibus expendi solita.

Probatur primo sic, illa species monetæ soluenda est, quæ fuit in obligatione deducta. *l. Paulus, la 1. ff. de solut. Gabriel. de solut. conclus. 2. in princ. & alij communiter.*

Sed in Constitutione pensionis expresse, & specialiter nominatur scutum monetæ illarum partium, & non argenteum, seu ducatonum, Ergo illa species, & non alia, erit soluenda; per illam enim expressionem monetę specialis, nempe, scutorum monetæ in constituenda pensione factam, satis innuitur, Summum Pontificem de valore, & æstimatione eiusmodi, & nõ alterius monetæ cogitasse, perinde ac si dixisset, pensio soluatur ad rationem scutorum monetæ currentium, quorum valor, vt in facto supponitur, secundum communem vsum, ascendit ad septem libras pro singulo scuto: relatio enim est in referente cũ omnibus qualitatibus, & cõditionibus suis. *l. asse toto ff. de hered. instit. cum simil.* Constat autem, quod quando res datur æstimata, semper attenditur eadem æstimàtio, non mutatio illius valoris. *Boer. decis. 327. nu. 10. cum seq.*

Secundo probatur, in ambigua nummorum voce, veniunt, & intel-

intelliguntur exiguiores, *l. nummis indistincte legatis, cum ibi nota: de legat. 3. l. si ita scriptum. de legat. 1.* & scribentes communiter *in l. semper in obscuris, de reg. iur. Fabianus de empt. & vendit. q. 5. princ. num. 14. vers. Etsi plures essent. Tiraq. de retract. lignag. §. 1. gl. 18. num. 73. vers. Si autem vtraq. Mandos. cons. 6. num. 1. & 2. Laudensis, de monet. num. 51. Brunus eod. tract. praesuppos. 2. num. 11. 15. & 16. Rot. diuers. decis. 760. par. 4. Peregr. cons. 13. nu. 3. Guttier. pract. l. 2. q. 179. & tandem etiam Thesau. de augum. monet. par. 2. num. 43.*

Vltimo probatur, nomine scutorũ simpliciter, & absolute nullo alio addito, veniunt scuta regionis, *Rot. in vna pensionis die lunae 18. Martij 1602. nu. 9. Seraph.*

Sed in facto supponitur, vsum, & morem regionis esse, vt nomine scutorum simpliciter, & absolute prolatorum, veniant, & intelligantur scuta librarum septem, & non scuta illa impressa argentea, quae vulgariter dicuntur, *scudi d'argento, ouero ducatoni*, quorum aestimatio in dies pro cõditione temporum augeri consueuit.

Ergo de illis scutis imaginarijs erit intelligenda obligatio pensionis antedictae. Et multo magis in casu nostro id erit affirmandum, cum non simpliciter scuta nominentur in constitutione pensionis, sed scuta monetae illarum partium.

Ex quibus concluditur, intentionem Summi Pontificis in huius pensionis constitutione extitisse, vt eius solutio fieret in scutis currentibus in omnibus solutionibus regionis, nempe, scutis imaginarijs, siue in eorum aestimatione, & valore inuariabili a tempore, cuius initij non est memoria. Saluo semper, &c.

EX-

EXTRAV. COMMVN.

MAIOR. ET OBED.

Extrauag. Etsi deceat.

CVM hic asserat Summus Pontifex, non debere Prælatos ad curiam more noctuæ latenter venire; neque ab ipsa recedere absque licentia eiusdem Summi Pontificis; opportune aduertitur, iam nunc statuisse Sixtum Quintum, qualiter Episcopi teneātur ex vniuerso Orbe Christiano certis temporibus ad prædictam curiam sub grauibus pœnis accedere: vt ex eius Constitut. *Romanus Pontifex, &c.* Quæ postea declarata fuit per *Sacra Congreg. de Propaganda fide, prout dicitur sup. cap. iuxta, dist. 93.*

Ea autem Constitutio summatim id continet; nempe, vt quicunque Patriarchæ, Præsulesque cæteri Orbis Christiani, etiamque Cardinalatus honore præfulgentes, antequam consecrentur, vel palium suscipiant, aut ad aliam Ecclesiam trāsferantur, iurent, se Sanctiss. Apostolorum Petri, & Pauli limina statutis in ea temporibus personaliter, ac per se ipsos visitaturos, & rationem reddituros Rom. Pontifici pro tempore existenti, de toto eorum Pastorali officio, & vicissim Apostolica mandata executuros.

Quod si legitimo impedimento detenti fuerint, quod & docere debebunt, iurent, se prædicta impleturos per certum nuntium;

Ad hoc autē debitum visitationis officium commode explendum supradicti omnes Patriarchæ, Episcopi, & Præsules, Itali, vel ex Italicis insulis, veluti Siculi, Sardi, Corsi, ac alij Dalmatiæ, & Græcarum Prouinciarum, quæ e regione ipsis Italiæ, & Siciliæ oris sunt, tertio anno. Germani vero, Galli, Hispani, Belgæ, Bohemi, Vngari, Poloni, Angli, Scoti, Iberni, & cæteri, qui in Europa sunt, qarto anno. Et qui intra fines Europæ, ac etiam Aphricani littoribus nostris aduersi, ac Insularum maris Oceani, & cæteri quinto anno. Asiatici vero, & qui extra Asiam, & in alijs nouis terris;

ris; & denique in quibuslibet mundi partibus, decimo anno iter suscipiant, & Deo concedente, perficiant. Idemq. institutum tertio quoque, quarto, quinto, & decimo anno repetant, & obseruent.

Quæ sane annorum spatia a tempore consecrationis, vel palij traditionis, aut ad aliam Ecclesiam translationis incipiant.

Tempus vero qualecunque excursum alicui, ex prædictis Præsulibus, ita illius successori effluxisse, & excurrisse intelligatur, vt termino ipso iuxta prædecessoris sui iusiurandum completo, debitam tūc visitationem facere, & quamprimum cōficere teneatur; & cætera, vt ibi sub pęnis ab ingressu Ecclesię, ac administrationis temporalium suspensionis, ipso facto incurrendis, donec absolutionem obtinuerint, duraturis. Non obstan. &c.

DISCEPTATIO.

An Episcopus excommunicatus possit vllam facere concessionem audiendi confessiones.

AVdiui aliquando dubitantes de Episcopo excommunicato non tolerato, & ad effectum obtinendi absolutionem adeunte Vrbem, in quo itinere cum ipse audisset, quendam Sacerdotē non suum subditum, sed sibi valde coniunctum, excipere cōfessiones, ac ministrare Sacramenta in quadam parochia sui Episcopatus, annuente parocho; nulla tamen præhabita facultate ab Antistite prædicto, sed tantum ex præsumpta eiusdem ratihabitione, non contradixit, quin immo annuit, ac illius peritiam, vitæque integritatem publice commendauit. Quocirca dubitatio est orta de validitate illarum confessionum ante, & post ratificationem Episcopi, vt supra, audirarum.

Ratio dubitādi insurgebat ex censura publica, quæ aufert vsum iurisdictionis, & propterea non videtur Episcopus potuisse dare licentiam, & facultatem audiendi confessiones, ex communi doctrina scribentium de censur. & generaliter probatur *in cap. 1. officiaVie. in 6.* vbi excommunicatus iurisdictionem mandare non potest. *cap. audiuimus 24. quæst. 1. cap. ad probandum, de sent. & re iu-*

re iudic. Eman. Sà, in ver. Confessarius, num. 9. & Sayr. de censur. lib. 2. cap. 6. in princ.

Pro sufficienti autem huius quæstionis resolutione distinguendum est de confessionibus auditis ante incursam ab Episcopo censuram: tunc enim ex præsumpta ratihabitatione Prælati nondum impediti, non est ambigendum de validitate confessionum: ratihabitio namque præsumpta sufficiens fuit ad audiendas valide confessiones, si fuerit (vt supponitur) de præsenti, late probat *Sanch. de matr. lib. 3. disp. 35. num. 20. & 21. post multos ibi relatos. & Suar. 3 par. quæst. 80. disp. 62. sent. 2. §. hinc sequitur.*

Difficultas ergo est quo ad confessiones auditas post censuram incursam ab Episcopo, qui propterea non potest exercere iurisdictionem, nec ratificando facultatem, quam iste Sacerdos alienus sibi assumpserat, nec eam expresse de nouo alicui demandare; *ex cit. cap. 1. offic. Vic. in 6.*

Huic aut dubitationi satisfieri potest, considerando, per eiusmodi ratihabitionem Episcopi, simul etiam prædictum Sacerdotem fuisse tacite ab Episcopo approbatum, & ad confessiones audiendas admissum; Licet ergo facultas audiendi confessiones cesset per excommunicationem Episcopi non toleratam; quia cum sit delegata dependet à iurisdictione delegātis; approbatio tamen prædicta perseuerat, cum sit iudicium quoddam de idoneitate ministri; prout etiam distinguebat *Emanuel. Sà, vbi sup. ver. Confessarius, num.* 9. de simplici consensu; & de actu iurisdictionali; iste enim non conceditur excommunicato, sed sic consensus simplex. Cum itaque parochus quilibet possit vices suas committere Sacerdoti, ab Episcopo approbato, potuit iste Sacerdos valide confessiones audire non quidem auctoritate ab Episcopo habita, sed ab ipso parocho, cuius iurisdictio ordinaria per superuenientem Episcopi censuram minime cessauit.

Et ex his dicendum videtur, confessiones factas eiusmodi Sacerdoti alieno, validas fuisse. Saluo semper.

Ex-

Extrau. Ad regimen, in princ. de praben. & dignit.

REseruantur hic dispositioni Apostolicæ beneficia curialiũ, & aliorum accedentium ad curiam. Cuius occasione notandum, quod alternatiua mensium, vbi Kalendarium Romanum, iussu Gregorij XIII. iam editum, nondum vsu receptum est, vt in Insula Cretensi, attendenda videtur iuxta computationem antiqui, non autem ipsius Gregoriani. Sic responderunt Consulti peritissimi Patres.

Hanc materiam Alternatiuæ mensium præter Tractatum eius specialem per Gonzalez in hanc ipsam alternatiuam editum, late examinat per multa dubia Garzia de beneficijs, *par.* 5. *cap.* 1. *a nu.* 582. *ad* 780. *Barbosa, de off. episc. alleg.* 53.

NE SEDE VACANTE.

Extrau. Suscepti.

ANnatæ, seu medietas fructuum primi anni, de quibus est sermo in hac extrauaganti, non soluuntur Cameræ Apostolicæ, nisi beneficia, vel pensiones Ecclesiasticæ excedant annuum valorem 24. ducatorum, vt ex Constitut. Clem. 7. incip. *Cum sicut nobis, &c.*

De annatis præter ea, quæ habentur apud Gallesf. in tractatu suo de annatis, vide Azorium *lib.* 7. *cap.* 12. *pes totum*, vbi late de hac materia, & de quindennio ei consimili.

REBVS ECCL. NON ALIEN.

Extrauag. Ambitiosa.

PRæter annotata superius hoc eod. tit. lib. 6. ex Constitutione Vrbani Octaui, nunc addimus, per hanc prohibionem alienationis non censeri derogatum dispositioni capituli terrulas, 12. quæst. 2. & hoc, ne in dubio videatur inducta correctio iuris antiqui.

Et

Et de hac materia alienationis rerum Ecclesiast. vide latissime apud *Quarantam, ver. Alienatio*, & post eum, *Barbosam, de offic. episc. allegat. 95. per totam*.

DISCEPTATIO.

De Prælato iterante sæpius alienationem a iure permissam.

NOuiter in dubium vertitur, an Prælatus sæpius alienans terrulas, vt supra intra valorem tamen 20. aureorum, seu solidorum, ad nota: in dicto cap. terrulas, & sic iuxta Iuris permissionem, absque solemnitate debita, & assensu, videlicet, Apostolico, incurrat pœnas iuris statim, ac peruenerit ad eam quantitatem, quæ absque debita solemnitate alienari non potest.

Et prima quidem facie videtur dicendum, nõ esse damnandam nec secundum, nec tertiam, seu aliam vlteriorem alienationem vltra primã, tanquam illicitas; si ipsarum singulæ non excedunt quantitatem a iure permissam. Nulla enim extat ratio, cur potius vna ipsarum, quam altera vltra primam censenda sit illicita; cum nulla singillatim sumpta excedat quantitatem à iure permissam.

Secundo, vbi concessio fit pro certa, & determinata causa, eadem concessio non dicitur consumata in primo actu, si adhuc durat causa concessionis, *Bart. in l. 1. num. 5. ad l. Iul. Maiest. Abb. in cap. 1. in fi. de treuga, & pace, & Felin. ibid. Gabriel. concl. 1. nu. 30. de leg. & constit.*

Ergo quoties secunda, & tertia, seu vlterior venditio vergat in vtilitatem Ecclesiæ, non erit inducenda illarum prohibitio, cum nondum consumata sit iuris concessio.

1 Verum in contrarium facit, quod prohibitum directo non debet concedi per obliquum, *gl. in l. Antistius, in fi. de acquir. hered. Bart. in l. 1. in princ. de auctor. tut.* maxime quando prohibitio est facta consideratione delicti: sic enim actus facile rediret in naturam suæ formæ, & omnes leges facile possent eludi; toties namque in casu nostro iterari posset modicorum bonorum alienatio, quoties Prælatus pro suo libito vellet, etiam vsque ad bonorum omnium,

nium, vel maioris partis ipsorum distractionem deuenire, si nullus ei terminus iterandi alienationem eiusmodi a iure præfigeretur.

Resoluendo itaque hanc quæstionem, dicendum videtur, toties debere censeri permissam iteratam bonorum alienationem, quoties, seruatis semper cæteris in hoc de iure seruandis, sic expediret eiusdem Ecclesiæ vtilitati; & hoc intra quantitatem non requirentem solitam consensus Apostolici solemnitatem. Si enim ea esset alicuius Ecclesiæ conditio, vel ratione specialis in eam deuotionis populi, vel occasione communis aduersitatis, vt hac nostra tempestate contingit, quando vndique flagellis atterriti, vota nostra cum maiori, quam antea bonorum elargitione Diuinæ offerrimus maiestati, cur non licebit oblationes in præsenti, puta, hebdomada factas, pro maiori eiusdem Ecclesiæ commoditate distrahere intra prædictam quantitatē a iure permissam? Et hoc idem etiā repetere in secunda, & tertia, vel etiam vlteriori hebdomada, eadem vrgente vtilitatis ecclesiasticæ ratione: durante si quidem eadem concessionis causa, profecto censeri non debet consumata ipsa cōcessio, vt supra considerauimus.

Et quod de mobilibus dicitur, quæ seruando seruari possent, idem etiam de immobilium terrularum, videl. oblationibus in Ecclesiam a fidelibus factis, pari ratione seruandum erit.

Quod si Prelatus malitiose intenderet modo vnam terrulam Ecclesiæ, modo aliam interpolatis licet temporibus distrahere, tunc profecto occurrendum esset eiusmodi dolosæ alienationi, & intraret ratio superius facta in contrarium actu, nempe, redeunte in naturam suæ formæ. Quare sicut multa modica in materia furti, sæpius repetiti, faciunt vnum satis, & inferunt obligationem restitutionis, ita & in casu nostro dicendum esset, malitiosa alienatione peruenie͂te ad quantitatem de iure requirente͂ Apostolici consensus solemnitatem, statim incurri pœnas contra alienantes bona ecclesiastica a iure comminatas. Saluo semper.

SEPVLTVRIS.

Extrau. Detestandæ.

CORpora defunctorum extantia super terram in ecclesijs amoueri debent, & in tumbis profundis subtus terram collocari; vt latius dicitur sup.tit.eo.in antiq.cap.1.

De prouentibus vero funeralium quid nam decreuerit nouissime Vrbanus Octauus, vide hic inf.in Extrauag.1.de priuil.

DECIMIS.

Extrauag. Declarationes, §. soluatur autem Decima.

DEclaratur hic, quomodo in soluenda Decima a Bonif. VIII. olim imposita, possit deduci salarium a Parochis constitutum Capellanis, in adiutorium curæ animarum assumptis.

Cuius dicti occasione notandum est, quod nominatio capellani eiusmodi in adiutorium parochi ob multitudinem parochianorum forte, vel diuisionem parochiæ suæ assumendi, spectare consueuit ad eundem Rectorem. & idem etiam erit de Constitutione salarij, quod satis mihi probatur ex hoc textu. Approbatio autem ad Episcopum pertinere debet. Et sic alias responderunt Peritissimi Patres.

REGVLAR. ET TRANSEVNT. AD RELIG.

Extrau. Viam ambitiosæ.

IN hunc locum conferunt opportune, quæ annotauimus sup. in clem. vnica de statu monach. ibi vide.

Extrauag. Ad nostrum 1.

FOrte nonnulli ambigunt de validitate, seu vsu potius prædictæ Extrauagantis, eo quia Doctores in hunc locum comminiscentes, ne illum quidem verbum de ipsa faciunt; cum tamen & cæterarum, tam præcedētium, quam & immediate subsequentium

apertam,ac manifestam mentionem faciant, & ob eam rem existimarunt,eam annumerari posse inter cæteras Cõstitutiones eius Auctoris,nempe, Ioannis 22. de quibus ait Sayrus in suo Codice de censur.lib.3.cap.30.num.13.vers.Præter. Aliæ etiam multæ, inquit ipse,referuntur inter cõstitutiones Ioannis XXII.quæ vtentium vsu non sunt confirmatæ.

Sed verius est, quod etsi eam omiserint scribentes antiqui, ex recentioribus tamen penes me de ea sermonem faciunt Barbosa, Scortia,& alij.

Et quo ad praxim paucis iam elapsis mensibus vidi,eam seruatam fuisse cum suis pœnis contra quendam Regularem, qui se transtulerat ad partes infidelium absque litteris testimonialibus Prælati ad finem redimendi e manibus infidelium quendam virum sui ordinis eximium, qui propterea punitus fuit,eo quod non seruauerat præfatæ Extrauagantis dispositionem.

DISCEPTATIO.

Regularis incorrigibilis eiectus a quo debeat alimenta recipere.

FRequenter dubitari solet de regulari iuste ob eius demerita a religione sua eiecto,a quibus nam debeat alimenta recipere, siue ob senium, siue ob quemlibet alium defectum corporalem.

Et prima quidem facie videbatur dicẽdum, eum non esse alendum a suo monasterio; quia iuste illum expulerat, ideoque legitime factum pœnam non meretur: nec ei succurrendum est, qui se in necessitatem iniecit. *l.fideiussor,§.fin.ff.qui satisd.cog.l.sicut.C. de act.& oblig.cum simil.*quare sibi imputet,iuxta illud, Qui quæ vult dicit,quæ non vult,audit.

Verum,his non obstantibus,dicendum videtur, eiusmodi eiectũ alendum esse a suo monasterio,si ad idem monasteriũ, & obedientiam debitam reuertatur. Et hoc aperte desumitur ex cap. fin. de regular. Vbi superiores tenentur singulis annis requirere suos eiectos, & fugitiuos; eosque ad obseruantiam regularem conari reducere; semper tamen seruata regulari disciplina,idest,de suis delictis debite satisfaciendo, vt sic ad cor suum redeuntes, sua conuer-

uersione eos ædificent, quibus antea malo exemplo scãdali occasionem præbuerant.

Nec quis objiciat priuilegia Religionis forsitan derogantia dispositioni citati capituli finalis; quia respondetur, sufficienter eiusmodi priuilegijs nouissime derogatum fuisse per Vrbanum VIII. atque prædictam dispositionem capituli finalis suo pristino robori restitutam; vt patet ex Decreto Sac. Congreg. Concil. Trid. de celebrat. Missarum edito sub die 21. Decemb. 1624. incip. *Cum sæpe contingat, &c.* de quo in mea Summa ver. Religiosus num. 8. in quarta impress. Vbi & habentur declarationes eiusdem Decreti per Sacram eandem Congregationem editæ.

Non obstat ratio in contrarium adducta, quia monasterium nõ dicitur pœnam aliquam pati ob iustam eiectionem sui subditi; sed potius de iustitiam iure debitam seruare, præbendo illi subdito alimenta necessaria, tanquam membro, quamuis inutili, corporis sui, retenta tamen semper disciplina regulari, iuxta prædicta.

Nec etiam quicquam facit cõfirmatio illa de iniecente se ipsum in necessitate; quia cum nemo sit Dominus membrorum suorum, *l. liber homo, ad l. Aquiliam*, ideo nec potest sibi preiudicare ad alimenta necessaria; vnde neque super illis transigere permittitur *l. cum his, ff. de transact.* Et ex his, &c. Saluo semper, &c.

RELIQ. ET VENER. SANCT.

Extrauag. Cum praexcelsa.

CVm in hoc textu multa disponantur circa Conceptionem B. Virg. sciendum est, quod nouissime Greg. XV. in sua Constitutione incip. *Sanctissimus Dominus noster, auditis votis, &c.* vetuit, affirmari posse, etiam in priuatis colloquijs, Beatam Virginem fuisse conceptam in peccato originali. A qua tamen prohibitione eximuntur Patres Dominicani in eorũ conferentijs; prout specialiter idem Summus Pontifex indulsit eorum Patri Generali sub die 22. Iulij 1622. Et insuper præcepit omnibus ecclesiasticis sęcularibus, & regularibus, vt in sacrificio Missæ, ac Diuinis officijs celebrandis tam publice, quã priuatim non alio, quam conceptionis nomine vti valeant.

Tandem etiam notandum est, quod iam antea Pius V. interdixerat, ne quis scribere, vel dictare vulgari sermone quidquam præsumeret de hac materia Conceptionis, vt ex eius Constitut. incip. *Super specula, &c.* Quam etiam Constitutionem confirmauit Paulus Quintus per suam *Extrauag. cuius initium est, Regis pacifici, & cat.*

IMMVNIT. ECCLES.

Extrauag. Quod olim.

ANtiqua dispositio contra soluentes, & exigentes tallias ab ecclesiasticis, restringitur hic ad exigentes, i. ab inuitis extorquentes. Nunc vero Religiosi omnes in vim Constitut. Pij V. *Dum ad vberes, &c.* eximuntur ab oneribus multis, eorumque monasteria, ac bonorum locatarij, laboratores, & negotiorum gestores per totum orbem Christianum, & in perpetuum.

Et insuper in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, præcipitur omnibus officialibus sub ditione Sedis Apostolicæ temporali, mediate, vel immediate subiecta constitutis, vt tantum sal, quantum pro eorum vsu sufficiat singulis annis contribui faciant monasterijs, tam virorum, quam mulierum omnium, &c.

Simile legitur in auth. collat. 10. tit. 43. Vbi centum, & mille officinæ ecclesiæ maioris Constantinopolitanæ libere; & immunes erant ab omni vectigalium onere.

IVDÆIS.

Extrauag. Dignam arbitrantes, in fine additionis antiquæ, ibi, plenius cauetur, adde.

ET idem statuerunt Paulus Quartus, & Pius Quintus in suis Constitutionibus, quarum meminit *Vgolinus de offic. & potest. episc. par. 1. fol. 212.* per quas disponitur, bona infidelium ad fidem conuersorum, non extantibus personis notis, ac certis, quibus de iure facienda esset restitutio, eisdem infidelibus, tanquam in vsum

in vſum pium in fauorem baptiſmatis, libere concedenda eſſe, & apud ipſos ſic conuerſos remanere debere.

De Flagitijs autem Iudæorum, quæ per Inquiſitores puniri poſſunt, dictum eſt ſupra, *cap. ſicut Iudæi, hoc eo. tit. in antiq.*

PRIVILEGIIS.

Extrauag. Inter cunctas, §. de funeralibus autem, ad fi.

EIuſmodi vero prouentus funerales, de quibus hic fit mentio in textu, valde indecenter, ac indigne locarentur laicis, vel etiam clericis.

Et ſciendum eſt, quod nouiſſime, de anno, videl. 1629. die 21. Martij, Vrbanus Octauus approbauit Decretum Congregationis RR. DD. Præfectorum Vrbis, habitæ coram Eminentiſſ. Vrbis Vicario, in qua ad effectum remouendi diſſenſiones, & ad euitanda ſcandala, ac alijs iuſtis de cauſis, reſolutum fuit, & declaratum, tam Intortitia, cæreos, & candelas, quæ per viam deferuntur, quàm etiam omnia ea, quæ circa cadauera, antequam terræ tradantur, in quibuſcunque priuatis eccleſijs, diuidenda fore, & eſſe pro æquali portione inter ipſos parochos, & miniſtros aliarum eccleſiarum quarumcunque, etiam Regularium, & Nationalium, ſeu alias priuilegiatarum; Ac propterea quando huiuſmodi intortitia, ſeu cærei, & candelæ in præfatis eccleſijs pro celebrandis Diuinis Officijs, præſenti corpore, accenduntur, finito officio, extinguenda, & cuique medietatem conſignandam eſſe, quare, &c.

POENIT. ET REMISS.

Extrau. Antiquorum.

CEnteſimo quoquo anno conceditur hic indulgentia pleniſſima viſitantibus Baſilicas Apoſtolorum Petri, & Pauli. Notandũ eſt, quod Indulgentię omnes, pro quibus conſequendis porrigendæ ſunt manus adiutrices, & quæ quæſtuandi facultatẽ quomo dolibet continent, caſſatæ, & reuocatæ fuerunt per Conſtitut. Pij V. *Etſi Dominici gregis, &c.*

Et inſuper vetuit, ne quis, etiam Cardinalatus honore præful-

gens audeat Nuntios, quæstores, vel Commissarios occasione quarumcunque indulgentiarum deputare in ecclesijs, monasterijs, aut pijs locis pro recipiendis lucris temporalibus absque speciali licentia Romani Pontificis, & expressa derogatione præsentis Constitutionis.

Sciendum est etiam, quod cum Sacra Congregatio Indulgentiarum de mandato Clementis Octaui nonnulla statuisset circa Indulgentias, Confraternitatibus laicorum concessas, prohibens, ne in instituendis nouis Confraternitatibus, plusquã vna (excepta tamen Societate Sanctissimi Sacramenti, quæ permittitur; immo etiam desideratur, vt in singulis parochialibus erigatur) in locis, aut Vrbibus singulis in posterũ instituatur. Deinde Paulus Quintus in executionem piæ mentis eiusdem Clementis Octaui reuocauit indulgentias antedictis Confraternitatibus concessas, saluis tamen elargitis Confraternitati Sanctissimi Rosarij, vt constat ex eius breui sub datum Romæ die 20. Septemb. 1608. Instante Eminẽtissimo Cardinali Galamino, tunc temporis Ordinis sui Generali Magistro.

De Anno Iubilæi, & Indulgentijs late scripserunt Benzonius, & alij post Nau.

SENT. EXCOMMV.

Extrau. Excommunicamus, & anathemat.

EXcommunicantur hic obtinẽtes gratiã, vel iustitiam a Sede Apost. pro datis, vel promissis & eos non reuelantes, &c.

Notandum est, quod Constitutio Gregorij XIII. de datis, vel promissis pro gratia, vel iustitia in curia obtinendis, incip. *Ab ipso Pontificatus, &c.* & de qua hic fit mentio ad marginẽ in principio huius Extrauagantis, postmodum confirmata, atque ampliata fuit per Clemẽtem VIII. ad omnia Tribunalia, eorumq. iudices, etiam laicos per totam ditionem S.R.E. tẽporalem, vt patet ex eiusdem Clementis Constitutione, incip. *Pro commissa nobis, &c.*

Eam autem Gregorianam late examinat, *Nauarrus tom. 2. operum suorum*. & de vtraque dixi nonnulla in mea *Summa in ver. Gratia, in fi.*

Ex-

Extrauag. Prouide attendentes.

DISCEPTATIO.

De Episcopo ludente cum excommunicato a se ipso, & denuntiato occasione ludi, an & ipse incurrat eandem excommunicationem.

SVmpta occasione huius textualis exagerationis contra pericula animarum, quæ aliquando ex fulminandis ecclesiasticis censuris prouenire possent, dubitatur, an valida fuerit excommunicatio lata ipso iure ab Ordinario loci contra ludentes tali ludo. Et præsupposita ipsius validitate, cum semper præsumendum sit pro sententia iudicis, Iterum venit in dubium, an Episcopus ipse ludēs cum subdito a se excommunicato, & publice, ac nominatim pro tali denuntiato ob transgressionem sui præcepti contra ludētes tali ludo, incurrerit & ipse eandem excommunicationem.

Pro sufficienti autem huius dubitationis resolutione præmittitur primo, Episcopum non incurrere excommunicationem a se latam contra ludentes tali ludo; eo quia nemo præsumitur velle se ipsum ligare suis legibus; & persona loquentis non incurrit pœnas iuris sui proprij generaliter loquentis. Constat autem, censuram ecclesiasticam vires sumere ab intentione iudicis eam ferētis. Vnde & dicitur, filium, aut vxorem, non incurrere censuram ad instantiam Patris, vel mariti latā, ob præsumptam ipsorum voluntatem non includendi suos, tali cōsanguinitatis gradu sibi coniunctos, vt in mea *Sum. ver. Filius, n. 3. post Vgol. de off. ep. p. 2. c. 17.*

Secundo præmittitur, Episcopum quidem eximi a pœna suspensionis a iure generaliter lata, non tamen idem esse de pœna excommunicationis; ius enim noluit, eum in tantum priuilegiari, vt dixi in eadem *Summa, ver. Episcopus, nū. 2. ex ibi deductis.*

Ad punctum autem quæstionis dicitur primo, Episcopum non euadere excommunicationem minorem a iure inflictam cuique, cum excommunicato non tolerato communicanti, nisi ex iusta, & rationabili causa excusetur. *cap. sicut, cum duobus seqq. 11. q. 3.*

Secundo dicitur, prædictum Antistitem, vt supra, ludentem, ligari eadem excommunicatione, quæ irretitum tenet excommucatum illum non toleratum, cum quo ludens communicat; hæc enim participatio Episcopi dicitur in crimine criminoso, seu ob quod ille fuit excommunicatus; de qua in *cap. si concubinæ, hoc tit. in antiq.*

Hanc autem cēsuram non incurrit in vim excommunicationis, quam ipse tulit in ludentes tali ludo, sed virtute iuris communis antedicti; & sic non dicitur per se ipsum ligari, sed a iure communi. Ab hac vero censura non eximitur Episcopus, sicut a suspensione immunis est, quæ differt ab excommunicatione, vt certi iuris est, & mox supra dictum fuit. Saluo semper, &c.

Admonitum hic velim pium lectorem, Constitutiones, & Decreta Apostolica in hoc opusculo superius relata, (vbi aliud specialiter non fuit expressum) omnia fideliter desumpta fuisse ex Bullario nouo, iuxta seriem temporum suorum Auctorum, vbi per extensum, & integraliter habentur. Vale.

Quæ omnia, & singula sub ijcio censuræ S. R. E. & cuiusuis melius sentientis iudicio.

Sit semper Laus Deo, Beatę semper Virgini, B. Antonio, ac omnibus Sanctis.

Amen.

IN-

INDEX ALPHABETICVS
SENTENTIARVM, ET RERVM NOTABILIVM.

A

C

Ab

F

G

H

In-

N

O

P

Vi-

FINIS.

IN-

INDEX ALPHABETICVS
CONSTITVTIONVM APOSTOLICARVM, QVAE HIC AFFERVNTVR.

A

C

San-

Laus Deo, & omnibus Sanctis. Amen.

ER-

ERRATA SIC CORRIGE.

Pag. 19. lin. 22. lege, illum.
22. lin. 13. nouas.
29. lin. 1. Hoc sanctum.
49. lin. 8. pone, c. cum per cussio.
66. lin. 8. c. relatum est.
67. lin. 12. plectendi.

Pag. 72. lin. 6. a quo. & lin. 23 sess. 24.
73. lin. 12. quoad.
91. lin. 11. Vbi periculum.
97. lin. 24. ioculatoris.
102. lin. 4. a fine, exemptio.
105. lin. 25. sæcularis.

F I N I S.

R O M Æ, Apud Gulielmum Facciottum. MDCXXXI.
SVPERIORVM PERMISSV.